BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
42
1 I
21
FONDO FIORENSE

III. F. 2 = 7.

R.R
5303

Aa.75

1

despre

50.

Digitized by Google

IN SACROSANCTO

MISSÆ SACRIFICIO

RITE, ET EXACTE CELEBRANDO,

Circa generales Miſſalis Rubricas, Ritus omnes & Cæremonias, S. R. C. ad illud ſpectantia Decreta, Sacri Canonis explicationem

Illmo, ac Revmo Domino

FR. PAULO

ALPHERAN DE BUSSAN

Archiepiſcopo Damiatæ Epiſcopo Melitenſi, E Dom. Magnæ Crucis S. R. Hieroſ. Regio Conſiliario, Pontificio Solio Aſſiſtenti, ac Commendarum de Vaoùrs, Gabrè &c. Commendatario,

Sacerdotem apprimè inſtructum

SALVATOR FELIX DEMARCO

Elus in Seminario aliquando Alumnus in grati animi monumentum

D. D. D.

ROMÆ, Ex Typographia Komarek, MDCCLI.

Superiorum Permiſſu.

Illmo, ac Revmo Domino

FR. PAULO

ALPHERAN DE BUSSAN

PRÆSULI BENEFICENTISSIMO.

SALVATOR FELIX DEMARCO

FELICITATEM.

Ulta ſanè ſunt & innumera, ILLUSTRISSIME DOMINE, quæ univerſos ſemper Inſulæ totius homines in

Tui venerationem impulere. Ardentiſſimus Eccleſiæ zelus, indefeſſa commiſſi Tibi Gregis vigilantia, vitæ in nullo reprehenſibilis integritas, quibus alios inter, quotquot Te præceſsere, peculiari ita ſplendore emices, ut non tam Melitenſis Infula Te decoraſse creditur, quàm Tu ipſam illuſtraſse: Dignus certè, qui & a feliciter regnante Summo Pontifice BENEDICTO XIV. Archiepiſcopali honore decorareris. Hæc quidem magna ſunt, mihi autem in Te multo majora, ac illuſtriores alias animi Tui commendare virtutes libet. Et quidem mira ante omnes mihi illa, qua univerſum Tuæ Diœceſis Clerum moderaris, Tibique creditam gubernas Eccleſiam, ſeſe offert Prudentia; cui conſtans, rectaque in omnes jungi comes Tua non dedignatur Juſtitia. Ecquis dein

in

in Cathedralem Sponſam, quam pretioſiſſimis donis a Te donatam, vel in dies donare non ceſſas, generoſiſſimam Tui animi non admiraretur liberalitatem? Prætereo ſanè Tuam in Litteratos benevolentiam, ſollicitam in Succeſſores curam, quibus Bibliothecam ex integro excitaſti, ac in dies augere non deſinis. Verumenimverò his majorem, magiſque ſollicitum in juventute erudienda admirabundus ego ſimulque lætabundus amorem demiror. Huic namque bonis moribus, liberalibus ſcientiis, & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtruendæ, ne in aliquo deeſſe videreris, novum a fundamentis ære proprio erectum Aſceterium fundaſti (a), auctiſque redditibus locupleta-

 taſti.

(a) Tali me lætitia affectum memini, cum Illuſtriſs. Dom. in novum Seminarium hilarem introeuntem viderem, ut me, in ſequens, ut ut Apolline parum dextro, Epigramma prorupiſſe, meminerim.

taſti. Lætabundus hunc, inquam, præ aliis demiror: & ſanè Alumnus & ego quondam liberalitatis Tuæ, arroganter non facio, ſi quæ Tuis Alumnis in dies beneficia confers, quorum non minora mihi novennali ſtudii curriculo in Seminario Amantiſſimus contuliſti, ad extremum uſque ſpiritum commendare non ceſsem: Quamobrem mea in Te

---

Paule veni, expectate veni; cur lente moraris?
Læta capit reditum tota Juventa Tuum.
Non hilares cernit quàm Te cinctantur Alumni
Quæque ſacrâ figunt oſcula grata manu?
Te nunc, Paule, Patrem verè venerantur amantem:
Hanc, ſibi, dum cernunt, quam ſtruis ipſe, domum.
Ingredere, o ergò, proprias Patronus in Ædes:
Incipe in hac ſtabilem figere ſede pedem.
Aſpice: jam parvæ conſurgunt altius Ædes,
His animus maior, quas ſtruit ille Tuas.
Jam ſtupet advenientem Noſtram Peregrinus in Urbem:
Hæc cernent animi pignora cara Tui.
Mox eat, atque Tuum Præſul memorabile Nomen,
Hic tantum veri nuntia fama canat.
O ſuntos inter meritò memorande futuros,
Queis dignum cinget Sacra Thiara Caput.
Tu licet illorum par ſis modo, Paule, cultis:
Non fuit illorum par Tibi: nullus erit.

Te obſequela & veneratio non nova, ſed vetus eſt, quod me ab ineunte ætate enutriſti, ad perfectam uſque juventam erudiſti; meoque tot non intermorituris devincto nominibus animo, non immemori excipitur. Hæc, ingenuè fateor, licet infeſtam aliquando mihi vim cœli, fatalemque meæ fortunæ aſteriſmum crederem: Te mei nunc Beneficum, Mœcenatem ſperare me jubent. Hæc fuerunt in cauſsa, ut Tibi lucubrationes haſce meas dicarem: ſupereſt modo, ut ipſe Patrocinium ſuſcipias. Et ò mè verè felicem, ſi Diſſertationes haſce meas potentiſſimo Tuo Patrocinio ſiſtere promeruero! Jam nihil officere valebunt mihi Zoilorum rhonchi, nihil momorum inſidiæ, nihil edax invidia, nihil temporum injuriæ. Ageſis ergo, ARCHIPRÆSUL ILLUSTRIS-

STRISSIME, opuſculum hoc meum immortali Tuo nomini inſcriptum feras, ac Benignus excipias. Cui enim, quàm Tibi ſummo in Melita Sacerdoti inſtructum in Miſsæ Sacrificio Sacerdotem conſecrarem? Sanè ſcio Diſsertationes has meas non ejus eſse promeriti, quale inmuneræ præſeferunt; verùm quò minus propriæ habebunt, eò potiſſimam Tibi lucem debebunt, appoſito illas præclari Tui nominis ſplendore dignanti. Si quid boni in his invenies, Tibi jure debitum exiſtima; ſin minus meritum illis adjice non dedignando: ſicque ingentes mihi animos ad majora tentanda adjices. Interim vale, & diù Tibi, diù mihi, diùque aliis te ſalvum, & incolumem ſerva. Vale.

PRÆ-

PRÆFATIO.

NOn aliunde certè ſemper eveniſſe putavi, quod nonnulli, [ne multos dicam] noſtri temporis Sacerdotes, non exactè ità, nec ea, qua deceret attentione, & devotione ſacroſanctum, tremendumque Miſſæ Sacrificium peragant; niſi quod Cœremonias ad id neceſſàrias non pauci parvipendant: quamplures S.R.C. Decreta ad illud ſpectantia parum, vel nihil obſervant: multi, qui in eodemmet Miſſæ miniſterio occurrere defectus ſolent, hos penitus ignorent; & pauciſſimi, utinam! tandem forent, qui non myſteria ſolum, ſed nec vim verborum intelligant. Id cogitanti mihi jamdudum in animis erat, ea omnia, quæ ad exactam tanti Sacrificii celebrationem neceſſària exiſtimarem, ſtylo quidem facillimo, ac ordine quodam, quo faciliùs menti inſideant, proponere; & in unum pro Neoſacerdotum commoditate volumen parvum redigere. Sanè, ingenuè fateor, me in præſenti opere non tam Auctorem, quàm ſeverum pro meo modulo Collectorem egiſſe.

Et quidem Miſſàlis Rubricas, ſi quas alicubi obſcuras credidi, omni, quantum in me erat, facilitate dilucidendas curavi: quamplura S.R.C. Decreta hinc inde penes Auctores diſperſa, in unam Diſſertationem collegi: Colorum diverſitatem, ac ſignificationem breviter

viter attigi: brevem & perneceſſariam, ſtylo licet humili, Sacri Miſſæ Canonis explicationem exhibui: aliqua de Miſſæ ſtipendio deque Vigiliis, ac Stationibus Eccleſiaſticis, tradidi. Multa ex his, quæ ſexto Seminarii anno, Adm. Rev. Domino Aloyſio Gaucio ejuſdem Seminarii Lectore, itidemque Rectore: viro certè doctrina, ac eruditione nulli ſecundo; in Melita Alumnus didici; huic Operi adjungenda curavi: non pauca de meo deprompſi.

Sanè haud quaquam me latet, quamplures futuros, quibus Auctores mordere, eorumque ſcripta dilacerare in deliciis eſt, qui Opuſculum hoc meum edaci dente inſequentur: Ecquid novi te typis mandaſſe crederis? clamitantes. Nihil certè, fateor. Verùm monitos illos velim: *nihil eſſe*, ſapientiſſimo teſte, *ſub ſole novum, nec valet quiſquam dicere: ecce hoc recens eſt. Eccl.* 1. Et me non tam doctrinæ, quàm facilitati, ac utilitati potiſſimùm conſuluiſſe ſciant; & valeant.

Impri-

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patr. Conſt. Viceſg.

APPROBATIO.

IN Opere inſcripto, *In Sacroſancto Miſſæ &c.* quod jubente Reverendiſſimo P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſt., pervolvi, nihil offendi Fidei, vel bonis moribus contrarium, aut, quod juxta regulas impedimento eſſet, ne publici juris fiat. Ex Ædibus Aracœlitanis Kalendis Maji 1751.

Fr. Philippus de Carboneano Ord. Min. Reg. Obſerv.

Imprimatur,

Fr. Vincentius Elena Mag. Socius Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Mag. Ord. Prædicatorum.

ELEN-

ELENCHUS

Dissertationum, Capitum, & Paragraphorum.

Diss. I. Cap. unic. *De essentia, unitate, &c. ac variis sacrificii nominibus.* 1.
§. I. *Quid, & quotuplex sit Missæ sacrificium?* 2.
§. II. *De unitate, ac multiplicitate virtuali hujus sacrificii.* 4.
§. III. *De sacrificii excellentia.* 8.
§. IV. *De sacrificii necessitate.* 10.
§. V. *De variis illius nominibus.* 12.
Diss. II. Cap. I. *De Missæ divisione, & multiplicitate.* 14.
§. I. *Quotuplex est Missa.* 15.
§. II. *De Missa votiva privata.* 16.
§. III. *De servandis in Missis votivis.* 19.
De colore. ibid.
De ingress. Introit. & Gloria. ibid.
De orationibus. 20.
De grad. tract. & symbolo. 22.
De præf. communic. & ult. evang. ibid.
Cap. II. *De Missis defunctorum.* 23.
§. I. *De Miss. cant. præs. cadavere.* ibid.
§. II. *De Missa à nobis longè mortui.* 24.
§. III. *De anniv. fundatis.* ibid.
§. IV. *De anniv. non fundatis.* 25.

§. V.

§. V. De Missis privatis defunctorum. 26.
Diss. III. Cap. I. Quando cœperunt, & quid diversi significent colores? 27.
§. I. Quid significet color albus? 28.
§. II. Quid significet color rubeus? 29.
§. III. Quid significet viridis? ibid.
§. IV. Quid significet violaceus? ibid.
§. V. Quid significet niger? 30.
Cap. II. Quando Ecclesia hujusmodi colores adhibet? ibid.
§. I. Quando utitur colore albo? ibid.
§. II. Quando rubeo? 33.
§. III. Quando viridi? 34.
§. IV Quando violaceo? ibid.
§ V. Quando nigro? 35.
Diss. IV. Cap. unic. Expenduntur Decreta S. R. C. ad Miss. spect. 37.
§. I. De Decr. in Miss. votivam. ibid.
§. II. De Decr. in Miss. defunct. 40.
§. III. De Decr. in Miss in Comm. 46.
§. IV. De aliis ad Miss. spectantibus. 53.
Diss. V. Cap. I. De modo Missam celebrandi. 61.
§. I. Quomodo Missa dicitur attentè? ibid.
§. II. Quomodo breviter? ibid.
§. III. Quomodo clarè? 62.
§. IV. Quomodo devotè? ibid.
§. V. Quomodo exactè? 63.
Cap. II. De bis, quæ in Miss. sunt clara, vel alia voce dicenda. ibid.
§. I. Quæ sunt clara voce dicenda. 64.

§. II.

§. II. *Quæ voce mediocri?* *ibid.*
§. III. *Quæ voce submissa?* 65.
Cap. III. *De inclinationibus.* *ibid.*
§. I. *De inclinatione profunda.* *ibid.*
§. II. *De inclinatione media.* 66.
§. III. *De inclinatione infima.* 67.
Dist. VI. Cap. I. *De orationibus præparatoriis intentione, et aliis.* 68.
§. I. *De orationibus præparatoriis.* *ibid.*
§. II. *De intent. a Sacerdote facienda.* 69.
§. III. *De sacrificii oblatione.* 70.
Cap. II. *De vestibus Sacerdotum, & aliis.* 75.
§. I. *De vestibus non sacris Sacerdotum,* 76.
§. II. *De Missa ordinanda,* 77.
§. III. *De paramentis calicis.* 79.
§. IV. *De pileolo, & annulo.* 81.
§. V. *De vestibus sacris.* 82.
Dist. VII. Cap. I. *De Regulis generalibus pro Missa celebranda,* 85.
§. Unicus. *Proponuntur Reg. Gen.* *ibid.*
Cap. II. *De Cæremoniis in Miss. servandis.* 88.
§. I. *De egressu Sacerdotis a Sacristia usque ad accessum ad altare.* 89.
§. II. *De princip. ad Introi.* 90.
§. III. *De introt. ad oremus.* 92.
§. IV. *De oration. ad Evang.* 94.
§. V. *De symb. ad Canonem.* 95.
§. VI. *De Can. ad consecrat.* 100.
§. VII. *De consec. ad orat. Dom.* 104.
§. VIII. *De orat. Dom. ad Postcom.* 106.
§. IX. *De Postcomm. ad fin. Miss.* 111.

§. X. De his, quæ in Missa defunctorum omittuntur. 113.
§. XI. Appendix de Sacerdote communicaturo. 115.
Diss. VIII. Cap. Un. explic. Miss. partes, 118.
§. Unic. De Psalm. Judica me. ibid.
De Introitu. 119.
De Kyrie eleison. 120.
De Hymno Angelico. ibid.
De Orationibus. 121.
De Epistol. Grad. & All. 125.
De seq., Tract., & Evang. 126.
De symbolo, 127.
De Offertorio, & secretis. 129.
De Præfat., & Canone. 130.
De Communic., & Comm. 132.
De Postcomm. usq. ad fin. 134.
Appendix de Commemorat. ibid.
Diss. IX. Cap. I. De defectibus Ministri. 137.
§. I. De defectu intentionis. ibid.
§. II. De defectibus dispositionis animæ. 140.
§. III. De defectibus dispositionis corporis, 143.
Cap. II. De defect. materiæ, & formæ. 145.
§. I. De defect. mat. prim. speciei. ibid.
§. II. De defect. mat. secund. speciei. 149.
§. III. De defectibus formæ. 153.
Cap. III. De defectibus in ministerio occurrentibus, 156.
§. I. De defectibus 1. generis. ibid.
§. II. De defectibus 2. generis. 158.
§. III. De defectibus 3. generis. 159.

§. IV. *De defectibus 4. generis.* 161.
§. V. *De defectibus 5. generis.* 162.
Diſt. X. Cap. I. *De prima Canonis parte.* 167.
§. I. *De 1. orat.* Te igitur. 168.
§. II. *De* memento. 183.
§. III. *De* Communic. 190.
Cap. II. *De ſecunda Canonis parte.* 203.
§. Unic. *De oratione*: Hanc igitur. *ibid.*
Cap. III. *De tertia Canonis parte.* 206.
§. Unic. *De* quam oblationem. 203.
Cap. IV. *De quarta Canonis parte.* 126.
§. I. *De* unde, & memores. *ibid.*
§. II. *De* ſupra quæ. 220.
§. III. *De* ſupplices &c. 225.
Cap. V. *De quinta Canonis parte.* 227.
§. Unic. *De orat.* Memento etiam &c. *ibid.*
Cap. VI. *De ſexta Canonis parte.* 229.
§. Unic. *De* Nobis quoque &c. 230.
Diſt. XI. Cap. Unic. *De Præparat. ad Commun. Communione, & gratiarum actione.* 238.
§. I. *De præparat. ad Commun.* *ibid.*
§. II. *De Communione.* 241.
§. III. *De gratiarum actione extra Miſſam.* 245.
Diſſert. Ult. Cap. Unic. *De Miſſæ ſtipen.* 247.
§. I. *De juſto Miſſæ ſtipendio.* *ibid.*
§. II. *Quot ſtipen. poteſt ſumere Sacerdos.* 248.
Appendix de vigiliis, et ſtationibus Eccleſiaſticis. 250.

DIS-

DISSERTATIO I.

De eſſentia, unitate, excellentia, neceſſitate, & variis hujus Sacrificii nominibus.

RErum eſſentia ante omnia perſcrutanda eſt, ut facilius cætera intelligantur: Quamobrem, antequam ad alias diſſertationes deſcendam, opere pretium duco Sacrificii hujus eſſentiam explicare, deinde de illius utilitate, ac virtuali multiplicitate, nec non de variis, quibus a Patribus nuncupatur nominibus, inquirere.

CAPUT UNICUM.

De eſſentia, unitate, ac multis hujus Sacrificii nominibus.

CUm cujuslibet rei eſſentiæ omnibus ſit aliis præponenda cognitio; de hac igitur,

§. PRIMUS.

Quid, & quotuplex ſit Sacrificium Miſſæ.

QUid ſit Miſſæ Sacrificium, & in quo ejus conſiſtat eſſentia, multi multa dicunt; communiter autem definiri ſolet: *Oblatio Deo facta per immutationem alicujus rei ſenſibilis in ſignum, & proteſtationem ſupremi dominii ipſius Dei, publica auctoritate inſtituta. Ita Svar. tom 3. in 3. part. Diſput. 73. ſect. 6. Laym. de ſacrif. Miſſ. & alii.*

Sed quamvis hæc definitio videatur eſſe communior, tamen adhuc eſt obſcura, cum potiùs videatur convenire Sacrificio uti latreutico, & non ſecundum ſe; definitio autem debet convenire rei ſecundum ſe: quòd autem definitio hæc conveniat Sacrificio uti latreutico, infra conſtabit in Praxi offerendi Sacrificii Latreutici.

Quamobrem ſum in ea opinione, ut dicam, quod eſſentia Sacrificii eſt: *conſecratio dicens ordinem ad ſumptionem.*

Et quidem eſt *conſecratio*, quia in toto Miſſæ Sacrificio nullam aliam Sacerdos actionem facit nomine Chriſti, niſi ſolam conſecrationem; quippe alias, vel nomine Eccleſiæ, vel proprio facit. Hinc *D. Ambroſ. de ſacr. lib 4. cap. 4.* ait *Conſecratio, igitur, quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu;* & infra *ſubjungit: ubi venitur, ut conficiatur*

vene-

venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti: ex quibus liquidò conſtat in hac ſola actione Sacrificii, ut Sacramentum eſt, eſſentiam conſiſtere.

Propterea illa conſecratio eſt eſſentia Sacrificii qua tale, *quæ dicit ordinem ad ſumptionem*, quia licet ſumptio non ſit de eſſentia Sacrificii, ut Sacramentum, quandoquidem, conſecratione peracta, antequam ad ſumptionem perveniatur, jam ſub utraque ſpecie totus Chriſtus exiſtit, & adoratur: tamen ille ordo ad ſumptionem eſt quaſi eſſentialis Sacrificio ut Sacrificium eſt, quia hæc in ſacrificante in omni caſu eſt indiſpenſabilis, ut infra dicetur, & Sacrificium complet.

Miſſæ Sacrificium eſt *Latreuticum*, ſive honorarium, quia Deo offertur ad ſupremum illi cultum, atque honorem, tamquam primo noſtro principio, & ultimo fini exhibendum in recognitionem infinitæ ejus Excellentiæ, Dominii, & Majeſtatis, noſtræque ab eo dependentiæ ſervitutis, & ſubjectionis: cujus idcirco figura in lege veteri erant *Holocauſta*, ideſt Sacrificia, quæ tota comburebantur, quæque Deo propter idem offerebantur.

Eſt *Euchariſticum*, ideſt gratiarum actorium, pro hoc enim Deo gratias agimus pro omnibus, & naturæ, & gratiæ collatis donis, & gloriæ ab ipſo ut ſummo benefactore conferendis.

Eſt *Propitiatorium*, quia Deus oblatio-

ne placatus gratiam, & remiſſionem pœnæ obicem non ponentibus concedit.

Eſt *Satisfactorium*, quia cum per ipſum applicatur Sacrificium Chriſti, qui pro peccatis totiùs mundi in cruce ſatisfecit; ideo pœnas etiam peccatis debitas relaxat: eaſdemque remittit defunctis in purgatorio exiſtentibus: nec hoc effectu carere poteſt, quia ex parte defunctorum nullus obex eſſe poteſt.

Eſt tandem *Impetratorium*, quia Chriſtus per ejus mortem non ſolam peccatorum remiſſionem, ſed & alia quæcumque beneficia nobis promeruit: propterea eſt omnium bonorum impetratorium, ſpiritualium quidem primò & per ſe, temporalium verò ſecundariò, & quatenus ad ſpiritualia conducunt.

§. SECUNDUS.

De unitate, ac virtuali multiplicitate hujus Sacrificii.

LIcet in antiqua lege plura fuerint Sacrificia, in nova autem unum tantumodo Sacrificium exiſtit, quod tamen in virtute omnia naturæ, & legis Sacrificia continet: hinc Concil. Trid. ſeſs. 22. cap. 1. inquit: *hæc denique* (ideſt oblatio) *illa eſt, quæ variis Sacrificiorum naturæ, & legis tempore ſimilitudinibus figurabatur*. Et Eccleſia in oratione

tione ſecreta Dom. 7. poſt Pentec. canit: *Deus, qui legalium differentiam hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti;* & S. Leo Pap. ſerm. 8. de Paſſione Domini habet: *nunc etiam carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una corporis, & ſanguinis tui implet oblatio.*

Et quidem unum hoc novæ legis Sacrificium omnia naturæ, & legis Sacrificia continere clariſſimè oſtenditur.

Primò: quia, ſi in utroque illo ſtatu aliqua Sacrificia erant purè latreutica, quæ ſcilicèt Deo in recognitionem ſupremi ipſius Dominii ſupra omnem cùm viſibilem, tùm & inviſibilem creaturam offerebantur; & hoc novæ legis Sacrificium eſt etiam Latreuticum, ut jam diximus, quia Deo offertur uti omnium noſtrum primo principio, & ultimo fini: hinc eſt, quod ab Eccleſia in Canone, hoc Sacrificium, *Laudis* vocatur, Latreuticum ſcilicèt, quatenus ad Deum adorandum, laudandumque fuerit inſtitutum.

Secundò: In illo ſtatu erant etiam Sacrificia Euchariſtica, quæ nempe Deo offerebantur ad eidem gratias de beneficiis, boniſque acceptis agendas; & per hoc novæ legis Sacrificium Deo gratiæ pro collatis donis aguntur, quod clare conſtat ex illis verbis *Tibique reddunt vota ſua* ideſt gratiarum actiones: & hinc eſt, quod hoc Sacrificium Antonomaſticè vocatur *Euchariſtia*, quæ græ-

ca vox gratam actionem ſonat. Chriſoſt. hom. 18. in 2. ad Chorint.

Tertiò: ſi in illa lege erant Sacrificia impetratoria, quæ ſcilicet Deo offerebantur ad bona ſive ſpiritualia, ſive temporalia impetranda; & hoc novæ legis Sacrificium uni Deo offertur *Pro ſpe ſalutis* ſpiritualis, & *incolumitatis*, ſeu pro bonis corporalibus impetrandis; eò vel maximè quia in ipſo offertur ipſe noſtrum mediator Chriſtus Jeſus.

Quartò: erant & in illo ſtatu ſacrificia ſatisfactoria, quibus ſcilicet pœna temporalis pro peccatis remiſſis debita, condonabatur: Et in nova lege hoc Sacrificio pœna quæcumque temporalis, quæ pro peccatis jam remiſſis luenda remanet, remittitur; & hoc eſt, quod Miſſæ Sacrificium *pro redemptione* à penæ ſcilicet debito in Eccleſia Dei pro vivis, defunctiſque offertur.

Quintò tandem in illa lege Sacrificia extabant propitiatoria, quibus ſcilicet a Deo culpæ remiſſio obtinebatur; & hoc etiam novæ legis ſacrificio peccata remittuntur, quatenus eſt condigna pretii ſolutio ab illo utique facta, qui Apoſtolo teſte. 1. ad Timot. 2. *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*: & de quo Joan in ſua 1. cap. 2. ait. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris... ſed etiam pro totius mundi*. Nec aliud eſt aſſignabile a ſupra memoratis in illa lege Sacrificium; propterea clare conſtat Sacrificium no-

novæ legis, licet realiter unum ſit, eſſe tamen virtualiter multiplex, quatenus omnibus, & naturæ, & legis, ut vidimus, & infra videbimus, equivalet Sacrificiis.

De hac diverſorum veteris legis ſacrificiorum diviſione conſule Calmet in ſuo Sacræ Scrip. diction. verbo *Sacrificia*, ubi diverſitatem & modum reperies. Verum hic unum eſt obiter notandum [ut tacitæ adverſariorum obiectioni reſpondeam] quod licet ad tria potiſſimum genera ſacrificia veteris legis revocentur nempe ad Holocauſtum ſeu Latreuticum, Propitiatorium, ſicut & noſtrum, & Pacificum ſeu Euchar. tamen erat etiam in illa lege, Impetratorium, & Satisfactorium ſub Pacifico comprehenſa, niſi velimus dicere, quod nomine Sacrificii Pacifici veniebat Eucharifticum, & Impetratorium, cum hoc Sacrificium fiebat ad gratias Deo agendas, en Eucharifticum; & ad beneficia poſtulanda, en Impetratorium: & deinde Libationes fariræ & liquorum, quæ in criminis expiationem pro tenuioribus præſcriptæ erant Sacrificium ſatisfactorium præſignabant: hæc optimè noverit, qui ſupra laudatum Calmet loco ſupra citato attentè legerit.

§. TERTIUS.

De Novæ legis Sacrificii Excellentia.

QUanta ſit Sacrificii hujus excellentia, & majeſtas nulli certè in dubium vertitur, qui Chriſtianæ religioniis præ aliis excellentiam conſideret; & ſane non immeritò: nam cum primum religionis munus ſit ſacrificium, & ipſa eſt cunctis aliis religionibus puta legis, & naturæ perfectior atque ſublimior, meritò & hujus legis Sacrificium eſt excellentiſſimum.

Et certè hujus noſtræ legis Sacrificii excellentia ex multis capitibus colligitur.

Primò quidem ex eo, quod in illo offertur, ſeu ex re oblata, quæ eſt ipſe Chriſtus verus Deus, & verus homo, quo cum nihil excelſius, ſanctiusque nihil dari poſſit, cum ſit omnis fons ſanctitatis *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris* ad Hæbr. 1. actio ipſa ſacrificandi actiones omnes humanas excedit.

Secundò ex perſona principalis offerentis qui & idem eſt Chriſtus Dominus, cum ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. idem ſit offerens in ſacrificio Crucis, ac in noſtro altaris, licet diverſus ſit offerendi modus: nam in ara Crucis cruentum de ſe ipſo Patri pro mundi ſalute ſacrificium obtulit, incruentum noſtro in altari in dies per Sacerdotum manus offert: fuit ergo principalis offerens in ara Crucis Chri-

Chriſtus Dominus, qui tamen ſemel, Apoſt. ad Hæbr. 7. teſte, ſe ipſum obtulit Patri in pretium ſimul, & Lauacrum. *Hoc enim*, ideſt quod ſe pro peccatis populi obtulit, *fecit ſemel ſe ipſum offerendo*: eſt etiam in incruento miſſæ Sacrificio & ipſe principalis offerens, qui tamen quotidie, ut ſuis ſtaret promiſſis, qui nobiſcum uſque ad mundi finem duraturum ſpopondit math. vlt. dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem Sæculi*, per Sacerdotum manus ſe Æterno Patri offert, non quidem ut Deus, cum in hac forma æqualis ſit Patri, nec ſuperiorem ideo cognoſcit; ſed ut homo *per formam ſervi, qua minor eſt Patre*. Auguſ. in Pſal. 63. verſ. 7.

Tertiò ex perſona illius, cui offertur qui Deus eſt, quippe Sacrificium ex ipſa intrinſeca rei natura ſoli Deo convenit, quia per hoc teſtificamur Deum eſſe noſtrum primum principium, & ultimum finem, cui in noſtræ ſubiectionis argumentum ſacrificium illud offerimus.

Quarto ex ipſa conſecrandi actione, ſeu conſecratione, qua manentibus ſpeciebus panis & vini tota panis, & vini ſubſtantia in Corporis, & Sanguinis Chriſti ſubſtantiam tranſit, quæ propterea mutatio ſeu prioris in poſteriorem ſubſtantiam tranſitus bene ab Eccleſia *tranſubſtantiatio* vocatur, eſtque ſupernaturalis actio hæc cùm a nulla potentia creata pendere poſſit, ſed a Deo, qui tranſubſtantiationis hujus cauſa eſt principalis. Quin-

Quintò ex hujus Sacrificii valore, qui, ſicut merita, & paſſio Chriſti infinitus eſt, ac proinde æque Deo placet, ſicut mors ejus in Cruce; quandoquidem Miſſæ Sacrificium eſt continuatio, ut ajunt Theologi, Sacrificii Crucis, idemque, ut ſupra diximus, eſt in utroque offerens, & res oblata, licet modus ſit diverſus.

Sextò tandem ex fine propter quem inſtitutum eſt hoc Sacrificium, nempè ut Deo debitum impendamus latriæ cultum, noſtramque illi ſervitutem humillimè teſtificemur; Sacrificio enim laudatur, & honorificatur Deus, ut ipſemet per Pſaltem Pſalm. 49. teſtatur dicens: *Sacrificium laudis honorificabit me*; inſuper fuit a Deo inſtitutum, ut per illud dignas Deo gratias agamus pro acceptis beneficiis, quorum præcipuum eſt quod nos è *tenebris in admirabile lumen ſuum vocaverit*: ad obtinendam remiſſionem peccatorum, ad Dei iram placandam; & tandem ad tot vivorum, mortuorumque, ut infra oſtendemus, neceſſitatibus ſuccurendum.

§. QUARTUS.

De Sacrificii neceſſitate.

HOmo quilibet tum in ſtatu viæ, cùm & in purgatorio (in ſtatu enim termini vel non eget, ſi beatus, vel Suffragiis nequit adju-

adjuvari, ſi damnatus extiterit) uſquedum ad æternam non evolet beatitudinem multis, & in anima, & in corpore neceſſitatibus eſt obnoxius: in purgatorio autem exiſtens piorum viventium auxiliis indiget, & ſuffragiis.

Hominis viatoris neceſſitates aliquæ ſunt ſpirituales, & aliæ corporales. Primæ & principales ſunt: primò peccata, quibus plenus eſt mundus. II. Tentationes internæ, & externæ, quæ innumeræ ſunt, & ſuperatu difficiles. III. Occaſiones extrinſecæ malorum ad peccata domi, & foris allicientes.

Neceſſitates corporales ſunt etiam innumerabiles, quibus omnes vel premuntur, vel ſunt obnoxii; ut morbi, bella, lites, inimicitiæ, & ſimilia.

Neceſſitates dein animarum in purgatorio exiſtentium ad unam reducuntur, quæ utique eſt graviſſima; ad condonationem ſcilicet pœnæ, pro qua uſquedum divinæ juſtitiæ non ſatisfecerint, præpediuntur ne ad optatam evolent beatitudinem; quippe cum pro ſe nec ſatisfacere nec impetrare poſſint, tota earum ſpes, & fiducia in noſtris eſt ſita ſuffragiis.

Horum omnium igitur viatorum ſcilicet, & in purgatorio exiſtentium infinita multitudo ſupplices manus ad Sacerdotem extendit clamans, & deprecans porrectiſque in Eccleſia ſupplicibus ejus libellis Sacerdotem rogat, ut pro ſuis omnibus neceſſitatibus cùm ſpiritualibus, tum & corporalibus, ſive *pro ſpe ſalu-*

ſalutis æternæ, & *incolumitatis* temporalis hoc Sacrificium offerat, nec illorum, *qui jam præceſſerunt cum ſigno fidei & jam dormiunt* in purgatorio *in ſomno pacis*; obliviſcatur.

Conſideret mox Sacerdos hujus Sacrificii neceſſitatem, ut non ita raro, niſi legittimè fuerit impeditus, celebret. Reflectat quantis præjudicio futurus ſit, ni hoc Sacrificium offerat: audiat Bedam de venerabili Euchariſtiæ Sacramento loquentem: *Sacerdos non legittimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo eſt privat S. Trinitatem laude, & gloria; Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio, & gratia, in purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio, & ſeipſum medicina, & remedio*: quot in una omiſſione mala!

§. QUINTUS.

De Variis hujus Sacrificii Nominibus.

QUamplura a Patribus Sacrificium hoc tùm in Græca, cùm & in Latina Eccleſia ſortitum eſt nomina, de quibus legantur Patrum Liturgiæ, & alii: nos autem aliqua hic enumeramus.

Omnes penè Patres Sacrificium hoc vocaverunt, & in præſentiarum *Miſſam* vocant, ſecundum aliquos a voce græca *Minchà*, quæ vox ſpontaneam oblationem deſignat: Verùm

rùm ſecundum alios hæc vox *Miſſa* latina eſt: Hinc Albin de divi: Offic. ait: *Miſſa dicitur, quaſi tranſmiſſa, eò quod populus fidelis de ſuis meritis non preſumens, preces, & oblationes, quas Deo omnipotenti offerre deſiderat, per miniſterium, & orationem Sacerdotis ad Deum tranſmittat*: ſecundum alios tandem dicitur Miſſa, ſeu dimiſſio, quia populus, hac terminata dimittebatur. Vicec. de Miſſ. ritibus lib. 5. cap. 5. Du Cange verbo Miſſa. Van Eſpen. Bocquilot & alii,

Vocatur & ab aliis *Anaphora* ideſt Elevatio propter tria: 1. quia in hoc Sacrificio ad elevandam mentem noſtram ad Deum admonemur per verba *Surſum corda*. 2. quia ad thronum divinæ Miſericordiæ hæc oblatio ſublimatur. 3. quia in Miſſa Chriſti Corpus, & Sanguis elevantur.

Vocatur etiam a nonullis *Doxologia*, ſeù glorificatio, quia per hanc Trinitatem glorificamus.

Ab aliis etiam *liturgia* audit, ſeu publicum munus, quia Sacerdos hoc Sacrificium Eccleſiæ nomine peragit.

A nonnullis tandem *Miſtagogia* nuncupatur, ideſt ſacrorum diſciplina. *Sacrificium* a Nazianzeno. *Sacrum munus* a Divo Martire Ignatio, quæ omnia ſunt clariſſima. Sed curioſus lector alia penes Auctores inveniat, præcipue apud *Durand. in ration. divin. Offic. Biel. & alios.*

DIS-

DISSERTATIO II.

De Multiplici Diverſitate Miſſæ.

Licet unum, ut diximus, ſit Miſſæ Sacrificium, unaque Miſſa, non uno tamen modo celebratur; Siquidem aliqua cum cantu, ſine cantu alia, & plures ſolemniſſimæ; de his in ſequentibus.

CAPUT PRIMUM.

De Miſſæ Diviſione, & Multiplicitate.

Miſſa qnælibet olim dividebatur in Miſſam Cathecumenorum, Competentium, & fidelium, ſeu Sacramentorum; Vel ut melius dicam, Miſſa quælibet ex tribus conſtabat partibus; 1. pars ea omnia comprehendebat, quæ dicuntur ab initio Miſſæ uſque ad Evangelium incluſivè, in qua inſtructionis cauſa, quæ poſt Evangelium ſtatim fiebat, Eccleſia Cathecumenos, Excommunicatos, & infideles admittebat; & prædicta hæc Miſſæ pars *Cathecumenorum Miſſa* audiebat, qua inſtructione peracta Diaconus omnes illos ab Eccleſia expellabat altè dicens: *Sancta Sanctis, foris canes.* Miſſa *Competentium*, ideſt jam baptiſmo propinquorum, ſeu illuminandorum incipiebat a Symbolo uſque ad Conſe-

ſecrationem, quibus ante conſecrationem dicebatur a Diacono. *Si quis eſt Catechumenus, procedat foras.* Alcuin. de divin. Offic. Miſſa *fidelium* incipiebat a Conſecratione uſque ad finem: Quippe illos tantum reputabat Eccleſia dignos vt permanerent. S. Ambroſ. epiſt. 20. ad ſuam Sororem: Sed de his alii.

Nos autem in præſenti aliam Miſſæ diviſionem inquirimus, de qua in ſeq.

§. PRIMUS.

Quotuplex eſt Miſſa.

MIſſa quæcumque, quæ fieri in Eccleſia ſolet, vel eſt Privata, Cantata, Conventualis, Parochialis, vel Solemnis.

Miſſa Privata illa eſt, quæ fit a ſolo Sacerdote celebrante ſine cantu cum unico tantum Miniſtro inſerviente.

Miſſa Cantata illa eſt, quę à Sacerdote cantatur, ad quam propterea requiritur numerus ſufficiens Clericorum ad canendum in choro, & alter Miſſæ inſerviens, & epiſtolam, ut moris eſt, caneus. [a]

Miſſa Conventualis illa eſt, quæ conventus nomine ſivè congregationis plurium, ut in Cathedralibus, & Collegiatis celebrari cum cantu ſolet. Miſ-

[a] Antiquitus lector legebat Epiſtolam in Miſſa. Concil. Tolet. I. in Africana Lector ſolebat ſuper ambonem legere Evangelium.

Miſſa Parochialis, quæ fit a Parocho. vel ejus ſubſtituto diebus Dominicis, vel feſtivis, in qua populum inſtruere debet, vigilias, feſtivitateſque publicare; & alia: quæ Miſſa tùm cum cantu, cum abſque cantu fieri poteſt.

Miſſa ſolemnis illa tandem eſt, quæ cum omni ſolemnitate celebratur; ſcilicet cum ſono prævio campanarum, cum Miniſtris Acolytis Thuriferario, Organo Credentia, & in qua Thurificatio in choro fit, & pacis oſculum datur; ex quibus ſi una deficiat, nequit dici ſolemnis.

§. SECUNDUS.

De Miſſa votiva privata.

CUm de ſola Miſſa privata me in præſenti opere ſermonem facturum promiſerim; ideo de votiva privata, in qua frequentiores occurere ſolent difficultates, quæque ſola inter privatas Neoſacerdotum crux eſſe videatur, in præſenti loquor.

Miſſa igitur votiva illa eſt, quæ cum Officio non concordat, & quæ propterea a jure non præſcribitur, ſed omninò dicitur ad votum, ſeu arbitrium celebrantis.

Miſſæ votivæ propriè illæ ſunt, quæ poſt Comm. Dedicat. Eccl. apponuntur, que 22. numerantur, ut ibi videre eſt.

Ex omnibus illis primæ octo: ſcilicet. *De SS. Trinitate. De Angelis. De ss. Apoſtolicis Petro & Paulo. De Spiritu Sancto. De ss. Euchariſtiæ Sacramento. De Cruce. De paſſione Domini. De Sancta Maria* pro temporis diverſitate; abſolute loquendo [ſi dies non eſt exceptus] dici ſemper privatè poſſunt a quolibet Sacerdote.

Similiter & quæ ſequentur decem, nempe; *ad tollendum Schiſma. Pro quacumque neceſſitate, Pro remiſſione peccatorum. Ad poſtulandam grat.am bene moriendi. Contra Paganos. Tempore belli. Pro pace. Pro vitanda mortalitate, vel peſtilentia. Pro infirmis. Pro Peregrinantibus, vel iter agentibus.* Dici poſſunt, ut ſupra, ſi dies non fuerit exceptus.

Tandem aliæ quatuor: *Pro eligendo Summo Pontifice. De Creatione, Coronatione, & Anniverſario SS. Pontificis. In Anniverſario Electionis, & conſecrationis Epiſcopi, & Pro Sponſo & Sponſa* cum ſint tantum certis diebus aſſignatæ, extra illos dici non poſſunt.

Miſſa votiva *de tempore* non datur puta: *de Adventu*, de *Quadrageſima*.

Miſſa de *Sanctiſſimo nomine D. N. I. C.* poteſt eſſe votiva, & eſt illa, quæ aſſignatur pro Eccleſia Univerſali in Dom. 2. poſt Epiph.

Miſſa *de Spina, Lancea, Clavis, Sindone* in illis Diœceſibus, quæ habent Miſſam propriam, poteſt eſſe votiva; in illis autem, qui

Miſsam non habent propriam, ſit Miſsa *de Cruce* more votivo, vel *de Paſſione*, cum intentione reliquias illas venerandi.

Miſſa *Roſarii*, *de Conceptione de Monte Carmelo*, *de Deſpenſatione*, & aliæ non poſſunt eſſe votivæ, quia jam in Miſſali extant aſſignatæ Miſſæ votivæ de B. V. propterea Sacerdos unam ex illis ſumat pro temporis diverſitate, miſterium illud recolendo.

De omnibus Sanctis Canonizatis poteſt fieri Miſſa votiva, licet non ſit ab Eccleſia aſſignatum Officium: ut de *S. Eligio*, *Demetrio*, & aliis juxta Commune illius Sancti.

De *Beatis* non poſſunt dici Miſſæ Votivæ, quia non ſunt adhuc Canonizati, nec ab Eccleſia vocantur Sancti: propterea hoc privilegium Miſſæ votivæ, quod in diplomatibus Sanctis conceditur, ad Beatos non eſt protrahendum.

Sit ergò Regula Generalis: quod Miſſa votiva privata dici poteſt in omnibus illis diebus, in quibus permittitur Miſſa defunctorum: Excipe tantum, quod tempore expoſitionis, licet ſint prohibitæ Miſſæ privatæ defunctorum, non prohibentur tamen Miſsæ votivæ privatæ.

Hinc dies, quos mox excipimus, in quibus nequit dici Miſsa privata Votiva, exceptos etiam intellige pro Miſſis privatis defunctorum; de quibus in ſequenti. Et quidem dies hi ſunt.

In

In Officio duplici, vel minori, etiam translato.

In Dominicis per annum.

In Vigilia epiphaniæ, & Nativitatis, & Pentecoſtes.

Infr. oct. Nativitatis, Epiphaniæ, Paſchæ, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti.

In fer. 4. Cin. & fer. omnib. maj hebd.

§. TERTIUS.

De Servandis generaliter in omnibus Miſſis votivis privatis. De colore.

IN omnibus Miſſis vot. *de ſancto* adhibetur color, qui adhibendus eſt in die feſti.

In Miſsa Votiva *Innocentium* adibendus eſt color rubeus, licet in feſto adhibeatur violaceus.

De Ingreſſu, Introitu, & Hymno Angelico.

IN omnibus Miſſis votivis etiam tempore paſſionis, *De Cruce*, *de Paſſione Domini*; dicitur Pſalmus *Judica me Deus* cum *Gloria Patri*, qnod etiam additur in fine Pſalmi *Lavabo*.

Introitus, qui incipit: *Gaudeamus* vel alius conſimilis dictæ feſtivitati affixus, omittitur, & alius loco illius alicujus Sancti conſimilis po-

ponitur; & verba *hodie*, *vel diem præſentem* omittuntur: & verba *Natalitiæ*, & *feſtivitates* mutantur in *Commemorationem*.

Sic in Miſsa votiva *ss. Omnium*. Introitus deſumitur ex die octava Auguſti.

Hymnus Angelicus dicitur tantum in Miſsa votiva *B. Virginis*, quæ dicitur in Sabbato ratione Sabbati, & in omnibus Miſſis votivis Angelorum.

In Miſſis votivis, etiam tempore Paſchali, vel infra octavas Sanctorum non dicitur.

De Orationibus.

IN Miſſis votivis privatis de *Cruce*, & *de ss. Trinitate* 1. Oratio de Cruce, vel de Sanctiſſima Trinitate. 2. de Sancto, cujus ſit officium, vel de tempore, juxtà dicenda a nobis in §. de Orationibus. 3. quæ juxta Rubricam dicenda eſſet 2. loco (*a*).

In Miſſa Votiva *Angelorum* 2. & 3. Oratio ut ſuprà.

In Miſſa Votiva *S. Michaelis Archang. Angelorum Cuſtodum, Raphaelis, Gabrielis*; 1. Oratio poteſt dici ut in propriis diebus. 2. & 3. ut ſuprá.

In Miſſa Votiva *Apoſtolorum*. 2. & 3. ut ſuprà. In

(*a*) In Miſſa votiva ſolemni unica tantum dicitur oratio, et ſi ſit pro gratiarum actione, dicuntur ſub unica concluſione.

In Miſſa Votiva *S. Petri, S. Pauli.* 2. Oratio erit de S. Petro, vel de S. Paulo reſpective, 3. de Officio, vel de tempore.

In Miſſa Votiva de *Sancto*, vel de *Sancta* 2. & 3. Oratio ut ſuprà.

In Miſſa de *Paſſione Domini*, de *Cruce*, & aliis 2. & 3. Oratio ut ſuprà.

In Miſſa Votiva *B. M. V.* 2. Oratio eſt Officii 3. de SS. ſi vero ſit votiva in Sabbato 2. erit de Spiritu Sancto 3. Eccleſiæ.

In Miſſa Votiva *B. M. V.* infra octavam ejuſdem, 2. eſt officii, 3. de Spiritu Sancto.

In Miſſa Votiva S. *Joannis Baptiſtæ* Orationes deſumuntur ex vigilia.

In Miſſa Votiva S. *Marci* tempore Paſchali 1. Oratio ut in die. 2. de Officio. 3. ut ſuprà; extra tempus Paſchale fit Miſſa de *S. Luca* 1. Oratio ut in die S. *Marci.* 2. & 3. ut ſuprà.

In Miſſa Votiva *Innocentium* extra tempus Paſchale 1. Oratio ut in die. 2. & 3. ut ſuprà; tempore verò Paſchali fit Miſſa de Comm. plur. martir. *Sancti tui* propriis retentis; 2. & 3. Oratio ut ſuprà.

In Miſſa Votiva *Omnium Sanctorum*. 1. Oratio erit, quæ prima eſt in ordine inter Orationes ad libitum, 2. & 3. ut ſuprà.

In Miſſis Votivis alicujus Sancti novi Teſtamenti, cujus non extat Officium. 1. Oratio erit de ipſius Comm. 2. & 3. ut ſuprà.

In Miſſis Votivis SS. veteris Teſtamenti 1. Oratio erit de Comm. martir. vel Confeſſ.

habito reſpectu ad illorum qualitatem ; 2. & 3. ut ſuprà.

De Graduali, Tractu, & Symbolo.

IN Miſſis Votivis tempore adventus etiam cum colore violaceo non omittitur *Alleluja* cum ſuo Cantu.

Infr. oct. Paſch. in Miſſa ſolemn. dicuntur 4. *Alleluja*; ſic & in tempore Paſchali, licèt non addatur ad *ite Miſſa eſt*.

Symbolum nunquam dicitur in Miſſis votivis privatis (*a*).

De Præfatione Communic. & ultimo Evangelio.

IN omnibus Miſſis votivis dicitur præfatio propria, ſi habeatur; aliter dicatur *de tempore*, vel de infra oct. illius Sancti, de quo octava celebratur, vel tandem Communis.

In Miſſis votivis, quæ fiunt infra octavam habentem prop. communic. ſi Miſſa habuerit propriam præfationem, dicetur propria

(*a*) In Miſſis ſolemnibus pro re gravi, et pro publica Eccl. cauſa ſemper dicuntur *Gloria*, et *Credo*; dummodo Miſſa non dicitur in paramentis violaceis; in Dominica vero dicitur *Credo* etiam in paramentis violaceis: cauſa autem gravis eſt quando Epiſcopus cum Clero, populique concurſu interveniret; Vide Macr. verb. *Miſſa votiva*.

pria præfat.,& Communic.de infra Oct.etiamsi de oct. nulla fuerit facta commemoratio.

Ultimum Evangelium Missæ votivæ semper est S. Joannis. *In principio*.

CAPUT SECUNDUM.

De Missis Defunctorum.

PRomiseram sanè, nec me latet, de una Missa privata differere, sic enim in præcedenti de sola Missa votiva privata sermonem habui. Verum cogitanti mihi quot soleant in canendis defunctorum Missis anniversariis fundatis, sive non, & aliis circa diem occurere in Ecclesiis difficultates, non sic autem in Missis privatis; me haud reprehensione dignum arbitror, si de his omnibus in sequentibus loquar.

§. PRIMUS.

De Missis Cantatis præsente Cadavere.

UBi mos viget cantare Missam præsente cadavere, hæc quocumque die cantari potest, etiam in die Commemorationis omnium Defunctorum, dummodo fiat Missa ut in die Depositionis; ex quibus sequentes tantum excipiuntur dies.

Feria 5. in cæna Domini post Missam de

die; nam ante permittitur de licentia Epiſcopi.

Feria 6. in Paraſceve, cum non detur Miſſa eo die; ſed Officium Miſſæ.

In Sabbato Sancto.

In tribus diebus Paſchatis Reſurrectionis, & generaliter in omnibus feſtivitatibus Chori primæ Claſſis.

§. SECUNDUS.

De Miſſa Cantata alicujus, qui longè mortuus eſt à nobis.

SI celebranda erit Miſsa *de Requiem* cantata pro aliquo, qui longè mortuus eſt à nobis hujuſmodi Miſsa cani poteſt uſque ad *duplex majus* incluſivè: dummodo non ſit feſtum de præcepto.

§. TERTIUS.

De Miſſis Anniverſariis Cantatis fundatis ad implendam mentem Teſtatorum.

DAntur aliquæ Miſsæ Anniverſariæ cantatæ, quæ fuerunt ab ipſis Teſtatoribus fundatæ ad implendam ipſorum mentem. Hæ omnibus diebus, præter quam in ſequentibus cani poſsunt, ſcilicet.

In

In Dominicis omnibus per annum.
In omnibus feſtis de præcepto.
In feſtis duplicibus. I. & 2. claſſis.
Infr. oct. Epiphaniæ.
In fer. 4. Cinerum.
In feria majoris hebdomadæ, quibus diebus prohibentur Miſſæ votivæ ſolemnes.
Infr. oct. Nativit. Reſurrectionis, Pent, & Corporis Chriſti.
In Vigil. Nativitatis, & Pent.
Quoties eſt expoſitum SS. Sacramentum.
In Caſu, quo transferenda erit Miſsa vel illam anteponendo vel poſtponendo, ſemper dicitur, ut in die anniverſaria, recitando orationem, pro ut in Agenda Defunctorum; illa *cujus Anniverſarium diem commemoramus*, omittendo.

§. QUARTUS.

De Miſſis Anniverſariis Cantatis non fundatis, & ad implendam mentem vivorum.

Miſſæ defunctorum non fundatæ & ad implendam mentem viventium celebrandæ, vel ex pia devotione, vel alia de cauſa, poſſunt celebrari illis diebus, quibus non prohib. miſsæ privatæ defunctorum.

Hoc modo regulantur etiam Miſsæ in 3. 7. 30. depoſitionis, & Anniverſariæ ab aliqua Con-

Congregatione ſtatutæ; puta a Sacerdotum Congregatione, [a] ad decennium celebrandæ.

§. ULTIMUS.

De Miſſis privatis Defunctorum.

DE Miſſis privatis defunctorum recole, quæ diximus de Miſsa votiva privata, ſcilicet, quod illis diebus, quibus permittitur Miſsa votiva privata, permittitur etiam Miſſa privata defunctorum, & quando illæ prohibentur, & iſtæ. Excipe ſolum, ut ſupra dictum fuit, quod tempore expoſitionis prohibentur Miſſæ defunctorum, non autem votivæ privatæ.

DIS-

(a) In die 3. Eccleſia celebrat Miſſam defunctorum ob memoriam Reſurectionis Chriſti, quæ fuit die 3. poſt eius mortem: S. Clem. lib. 7. Conſt. Apoſt. Cap. 48. Die 7. in Symbolum æternæ quietis. S. Ambroſ. in Oratione de fide Reſurect. In 30. quia ex S. Scriptura habetur Aronis mortem per 30. dies a populo deploratam fuiſſe: Numer. 20. De anniverſariis meminit Tertull. de coron. mil. Cap. 3. oblationes pro defunctis pro Natalitiis anniverſaria die facimus: imo & ab Ethnicis annua Sacra pro defunctis fieri conſueverunt, ut Plutar. de leg. & Tuchyd. teſtantur; & hoc ne fortè animabus nondum expiatis noſtris ſuffragiis indigeant, quæ quidem melius eſt, ut illis ſuperſint, quam ut per oblivionem deſint.

DISSERTATIO III.

De Coloribus Paramentorum.

ECcleſia non unum, ſed diverſos diverſis adhibet diebus colores: ſepè enim Album, non rarò Rubrum, pluries Viridem, aliquando Violaceum, & multoties Nigrum: qui colores in Eccleſia occidentali ante ſæculum 13. adhibiti ſunt.

CAPUT PRIMUM.

Quando cœperunt, & quid hi ſignificent colores.

IN primis Eccleſiæ temporibus communi indumento veſtiti Sacerdotes Miſſam agebant: Valafr. Cap. 24. & B. Clemens primus fuit, qui tradente B. Petro uſum ſacrarum veſtium ex lege decrevit in epiſt. ad D. Jacob. Hieroſolim. Antiſtitem de veſtibus, & vaſis Sacris. Verùm Benedictus XIV. in ſect. I. de Sacrif. miſſæ num. 38. eruditiſſimè docet Apoſtolos aliis in Miſſa celebranda veſtibus uſos, quam quibus, dum per vias incederent, utebantur; puta alia alba, & planeta domi vel per viam ambulantes utebantur, & alia, cum ad ſacrificium accederent; quod ex Thomaſs. tom. 1. lib. 2. cap. 45. confirmat, qui oſtendit ſtolam manipulum, albam prophanas olim veſtes

ſtes fuiſſe, quæ deinde uſu ſacrificii conſecratæ ſunt. Et ſane conveniens erat, ut alium habitum haberent in Miniſterio Sacerdotes, & alium in uſu, & vita communi.

Et quidem jure: ſi enim etiam Sacerdotes Gentilium veſtes habuere ad ſacrificia non communes; quì Sacerdotes Noſtri in communi veſte ſacrificabunt?

Qui colores in diverſis diebus diverſi etiam ſunt, ut ſuprà diximus; videmus nunc breviſſimè quid hi colores ſignificent.

§. PRIMUS.

Quid ſignificet color Albus.

ALbus color, qui aliis eſt coloribus frequentior in Eccleſia, & in feſtivitatibus quaſi omnibus adhibetur, ſignificat Gloriam, denotat Gaudium, Innocentiam, Munditiam, Splendorem, Caſtitatem, Candorem, Puritatem, Pulchritudinem, & Integritatem.

Hinc facile applices in §. 3. *Cap. ſequent.* rationem, cur in diebus ibi notatis albus adhibeatur color. de qnibus lege Gavant. apud Doctiſſimum. Merati Tom. 1. par. 1. tit. 18.

§. SE-

§. SECUNDUS.

Quid ſignificet color Rubeus.

RUbeus color, ſeu purpureus indicat dignitatis gradum aliis excellentiorem, humano Sanguini ſimilis, igneam referes naturam.

Hinc inferes quare convenit Martiribus, & Feſto Pentecoſtes; & cur Virginibus, qui etiam ſunt Martires attribuitur, quia Martirium præfertur Virginitati.

§. TERTIUS.

Quid ſignifict color Viridis.

VIridis color medius eſt inter colores, & nihil ſignificat, ſed diſtinguit dies ab aliis, hinc ut infra patebit, Eccleſia utitur illo in diebus communibus, & ferialibus.

§. QUARTUS.

Quid ſignificet color Violaceus.

VIolaceus color triſtitiam, mærorem, & abſtinentiam deſignat; hinc in diebus pœnitentiæ, & jejunii adhibetur.

§. QUIN-

§. QUINTUS.

De Colore Nigro.

NIger tandem color apud omnes mortem designat; hinc isto illo die utitur Ecclesia, in quo Christi mortem commemorat, & in Missis Defunctorum.

CAPUT SECUNDUM.

Quibus diebus Ecclesia hujusmodi Colores adhibet.

DIximus jam, quid in Ecclesia diversi diversis diebus significent assignati colores, mox dies, quibus Rubrum vel alium præscribit colorem in sequentibus numeremus.

§. PRIMUS.

Quandonam utitur Colore Albo.

MUlto plures sunt dies per annum, quibus albo, quam alio colore vtitur Ecclesia; qui quidem sunt.

In die Nativitatis Domini, & per totam octavam, quando fit Missa de Octava.

In vigilia, & in die Epiphaniæ, & per totam octavam.

In Missa fer. 5. in Cœna Domini.

In

In Miſ. Sabbati Sancti.

In Aſcenſione Domini, & per totam octavam, quando fit de infr. Octavam.

In feſto Trinitatis.

In feſto SS. Corporis Chriſti, & per totam octavam, quando fit Miſſa de infr. Oct.

In feſto Circumciſionis, SS. Nominis Jeſu, & Transfigurationis.

In omnibus feſtis B. M. V. & per earum oct. ſi habuerit, quando Miſſa fit de infr. oct.

In omnibus feſtis Angelorum.

In feſto omnium Sanctorum, & per totam Oct. quando fit Miſſa de Oct.

In feſto Nativitatis S. Jo: Baptiſtæ; Et in feſto S. Jo: Evangeliſtæ ad diem 27. Decemb.[a]

In utroque feſto S. Joſeph.

In utraque Cathedra S. Petri, & in feſto ejuſdem ad vincula.

In feſto dedicationis propriæ Eccleſiæ, & per octavam, quando fit de infr. Octavam.

In feſto omnium Virginum, & non Virginum nec Martirum.

In feſto omnium Confeſſorum Pontificum, non Martirum.

In feſto omnium Confeſſorum non Pontificum, nec Martirum.

In feſto omnium Confeſſorum Doctorum.

In

(a) Die 27. Decembris Eccleſia recolit feſtum Virginitatis S. Joannis, et in feſto ejuſdem ante Portam Latinam veneratur ejus martirium.

In Miſsa conſecrationis SS. Pontificis.

In Anniverſario Creationis, & coronationis ejuſdem.

In Miſsa Electionis, & Conſecrationis Epiſcopi, etiam Anniverſaria.

In Miſsa pro Sponſo, & Sponſa.

In Dominicis a Paſchate uſque ad Aſcenſionem.

In die Converſionis S. Pauli, & in *Melita* per totam oct. vti Patron. Prin.

In feſto Commemorationis eiuſdem Adventus in eandem Inſulam, & per totam Octavam, ubi eſt Titularis, ut in Urbe *Vallecta*.[a].

In feſto S. Franciſci de Paula, & per totam oct. *in Melita*, & alibi ubi celebratur cum octava. (*b*) in Dominica.

§. SE-

(*a*) Adventum Naufragi Pauli in Melitam Siciliæ adiacentem in annum 59. poſt Chriſtum natum ex Hieron. in ſuo *de Beato Paulo &c. in Differt. XVI.* §. IV. Eruditiſſimus C. Ciantar. recognoſcit Anniverſaria autem dies 10. Februari a *Melitenſibus* colitur.

(*b*) Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Fr. Paulus Alpheran de Buſſan Romæ præſens Officium *S. Franciſci de Paula* cum ſua octava conceſſum *die* 1. *Martii* 1741. a Beatiſſimo D. N. Benedicto XIV. feliciter Regnante obtinuit, Dominica IV. poſt Paſcha celebrandum.

Quibus diebus utitur Colore Rubro,

SUnt multi dies, in quibus colorem Rubeum adhibet in Miſſis Eccleſia; & ſunt ſequentes.

In Miſsa Vigiliæ Pentecoſtes, & in die ejuſdem, & per totam octavam.

In feſtis Inventionis, & exaltationis Sanctæ Crucis.

In feſto Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ.

In feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli & per octavam; quando ſit Miſsa de octava.

In Natalitiis Apoſtolorum.

In feſto S. Joannis ante Portam Latinam.

In Commemoratione S. Pauli.

In feſto S. Barnabæ.

In feſtis Sanctorum Evangeliſtarum.

In feſto S. Laurentii, & per totam octavam, quando ſit de oct:

In feſto S. Stephani Protomar:

In feſto Sanctorum Innocentium, ſi venerit in Dominica, & in die Octava.

In feſto omnium Sanctorum, & Sanctarum Martirum.

In Miſſa pro eligendo Summo Pontifice,

§. TERTIUS.

Quando utitur colore viridi.

Viridi colore Eccleſia aliquibus diebus utitur, ſcilicet.

Ab Octava Epiphaniæ uſque ad ſeptuageſimam excluſive: intellige in Miſſis de temp.

Ab octava Pentecoſtes uſque ad adventum ut ſuprà.

§. QUARTUS.

Quibus diebus violaceum adhibet.

ECcleſia in ſequentibus violaceo colore utitur diebus, ſcilicet:

A prima Dominica Adventus uſque ad Miſſam vigiliæ Nativitatis incluſive: intellige in Miſſis de temp.

A Septuageſima uſque ad Sabbatum Sanctum ante Miſſam incluſive: verùm vt ſupra in Miſſ. de temp.

In Omnibus 4. temporibus, & Vigiliis, quæ jejunantur, quando fit Miſſa de fer. exceptis 4 temporibus, & Vigilia Pentecoſtes, in quibus color eſt Rubeus propter Octavam.

In Miſſa litaniarum in die S. Marci, & in fer. 2. Rogat.

In feſto Innocentium, quando non venerit in Dominica (*a*)

In Miſſis tandem votivis ſequentibus: *De Paſſione. Pro neceſſitate. Pro peccatis. Pro infirmis. Ad poſtulandam gratiam bene moriendi. Ad tollendum Schiſma. Contra Paganos. Tempore Belli. Pro pace. Pro vitanda mortalitate, Pro iter agentibus.*

§. QUINTUS.

Quando Eccleſia utitur colore Nigro.

COlorem hunc rariſſimè Eccleſia adhibet: ſcilicet:

In Officio fer. 6. in Paraſceve (*b*).

In omnibus Miſſis Defunctorum.

Ex dictis pro hujus diſſertationis coronide notandum, quod ſupra pluries dixi de octavis loquens: *quando Miſſa erit de octava*; quia si infra octavam fiat de aliquo ſancto, color erit qui illi ſancto ex ſupradictis convenit: Si vero fit de oct. color erit idem ac diei feſti.

(*a*) Propter triſtitiam, quia vox in Rama audita eſt &c. *Hier.* 3. & ob eandem cauſam cantica lætitiæ ſubticentur.

(*b*) Dicitur Officium Miſſæ, & non Miſſa, quia in illo Sacerdos ſumit ſpecies die antecedenti conſecratas, & non conſecrat; propterea Miſſa non eſt, nec pro illa ſtipendium ſumere poteſt. Et hac die, ut ex Ordine Rom. conſtat in ſignum mœroris ſuper nudum ſcabellum ſedebat Summus Pontifex.

In Dominicis infra Oct. occurrentibus, ſive in illis Miſſa fiat de infra oct., ut in his: nempe in Dominica infr. oct. *Nativitatis*, *Epiphaniæ*, *Pentecoſt.* & *Corporis Chriſti*; ſive de Dominica ut in aliis, ſemper adhibendus eſt color diei feſti: excipe illas, quibus debetur color violaceus.

DISSERTATIO IV.

Expenduntur S. R. C. Decreta ad Miſſæ Sacrificium ſpectantia.

NOn abs re me facturùm arbitror, ſi in præſenti Diſſertatione S.R.C.Decreta, quæ ad Miſſæ Sacrificium ſpectant, proponam: Quippe pluries evenire ſolet, quod ob Decretorum ignorantiam Sacerdotes illicitè celebrent: hinc, ut, ſi unquam difficultate aliqua, vel circa orationes, vel ritus, vel alia, oborta, S. R. C. Decreta conſulere vellent; hæc præ manibus haberent; opere pretium duxi, hæc omnia in præſenti Diſſert. colligere.

Sanè ſcio dicta S. C. Decreta penes Doctiſſimum Merati omnia legi poſſe (*a*); verum cum ibi promiſcuè, tùm hæc, quæ mihi in

(*a*) In Indice Decretorum in fin. tom. 2. omnia promiſcuè recenſet S. R. E. decreta ad Miſſalis Rubricas, & ad alia pertinentia Eruditiſſimus Merati.

in animo eſt proponere, cùm & alia ad aliud ſpectantia recenſeantur, ea quæ ad nos ſpectant, quæque magis eſſe neceſſaria duxi, in ſequenti proponam.

CAPUT UNICUM.

Proponuntur decreta S. R. C. ad Miſſæ Sacrificium ſpectantia.

UT diſtinctè in his recenſendis Decretis procedamus, caput hoc ſic dividemus, ut in primo, decreta, quæ ad Miſſam votivam: In ſecundo, quæ ad Miſſas Defunctorum: In tertio, quæ ad alias Miſſas ſpectant: In quarto tandem, quæ aliquem reſpectum habent ad Miſſam; proponamus.

§. PRIMUS.

De Decretis circa Miſſas Votivas.

I. GLoria cum Credo omittitur in Miſſis votivis pro re gravi, quando dicuntur cum paramentis violaceis. *S.R.C. 19. Maij 1607.*

II. Res gravis ea eſt, pro qua convenit totus Cleſus cum Epiſcopo. *S.R.C. 19. Maii 1607.*

III. Gloria dicitur in Miſſis votivis B. M. V. in Sabbato tam fer. quam adven-

tus, licet de ea non fiat Officium. *S. R. C. 19. Maii 1607.*

IV. Miſſæ votivæ jam acceptæ, quæ non poſſunt celebrari diebus impeditis, debent celebrari de feſto occurrenti cum applicatione Sacrificij, *S. R. C. 19. Maii 1614.*

V. Miſſæ votivæ non poſſunt ſuffragari pro Miſſa conventuali, etiamsi cantetur Miſſa votiva. *S. R. C. 16. Maii 1626.*

VI. In Miſſa votiva, quæ celebrari aliquando poteſt infr. Oct. in Adventu, Quadrageſima, quatuor temp. Vigiliis, & fer. 4. Rogat. 1. or. erit de Miſſa, 2. de oct., 3. de fer., & in fine Evang. *s. Joannis. S. R. C. 22. Junii 1636.*

VII. Miſſæ votivæ non poſſunt ullo modo dici in Dominica Palmarum. *S. R. C. 14. April. 1646.*

VIII. Miſſa votiva de B. M. V. in vigilia Pentecoſtes non poteſt dici. *S. R. C. 19. Auguſt. 1651.*

IX. Miſſa votiva in aliquo die, ob publicam cauſam, & ratione concurſus poteſt celebrari cum Glor. & Credo. *S. R. C. 8. Junii 1658.*

X. Miſſæ votivæ Titul. & Patr. poſſunt dici cum Glor. & Credo. *S. R. C. 4. Auguſti 1658.*

XI. Miſ-

XI. Missa votiva de aliquo Sancto pro re gravi fit cum Glor. & Credo, & cum colore illius Sancti. *S. R.C.* 13. *Augūst.* 1667.

XII. Infra oct. Corporis Christi prohibentur Missæ votivæ, & prò defunctis. *S. R. C.* 21. *Junii* 1670. Item 15. *Septembis* 1714.

XIII. Si urgente Causa celebranda erit Missa votiva infr. oct. quæ habet Præfat. prop. & Communic. dicitur Præfatio Conveniens Missæ, & Communicantes dicitur de infr. oct. *S. R. C.* 16. *Junii* 1683.

XIV. Missæ votivæ de SS.Sacr. vel de B.M. V. in cantu fundatæ dici non possunt in duplicibus, aliisque festis duplicia excludentibus, sed cantari debent Missæ de festo currenti cum applicatione sacrificii. *S. R. C.* 28. Julii 1683.

XV. In Missis votivis privatis de SS. Sacramento, vel de festo duplici occasione 40. horarum non dicitur Credo, nisi aliter competat ratione festi dupl. *S. R. C.* 2. *Decembris* 1684.

XVI. In Missa votiva SS.Sacramenti 3.oratio dicenda est, quæ secundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non vero ea, quæ 2.loco est assignata infra oct. ejusdem Croporis Christi. *S.R.C.* 2. *Decem.* 1684.

§. SECUNDUS.

Proponuntur S. R. C. decreta circa Miſſas defunctorum.

I. POteſt celebrari Miſsa Cantata de Requiem pro defunctis in Dominicis, & feſtis duplicibus præſente in Eccleſia cadavere: ubi nimirum viget conſuetudo ſepeliendi ſimul cum Miſsa *S. R. C. 23. Maii 1603.*

II. Miſsæ Defunctorum non ſunt celebrandæ, nec cantandæ in diebus ſolemnibus. *S. R. C. 23. Junii 1607.*

III. Miſsæ Cantatæ defunctorum tolerantur ad implendam mentem Teſtatorum: intellige in Anniverſario tertio, ſeptimo, & trigeſimo relicto ex diſpoſitione Teſtatorum in feſto duplici non de præcepto. *S. R. C. 1. Septembris 1607.*

IV. Miſſæ Anniverſariæ, & aliæ de Requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito transferri debent in diem ſequentem. *S. R. C. 19. Maij 1614.*

V. Non valentes ſatisfacere Anniverſariis defunctorum in diebus ferialibus, poſſunt illa adimplere in feſtis duplicibus, ſed non de præcepto. *S. R. C. 13. Martij 1626.*

VI. In

VI. In Altari pro certis diebus privilegiato non poteſt dici Miſſa *de Requiem* in feſto duplici, nec in Dominica. *S. R. C.* 24. *April.* 1627.

VII. Prohibentur Miſſæ votivæ, & *de Requiem* in diebus, in quibus de feſto duplici fieri prohibetur, hique dies ſunt: infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, in Hebdom. maj, fer. 4. Ciner. In Vigil. Nativitatis Domini, & Pentecoſ. *S. R. C.* 28. *Aug* 1627.

VIII. Miſſæ S. Gregorii pro vivis, & defunctis impreſſæ, 15. Auxiliatorum, & de Patre Æterno ſunt prohibitæ. *S. R. C.* 8. *Aprlis* 1728.

IX. Miſſæ Triginta S. Gregorii pro defunctis non prohibentur. *S. R. C.* 28. *Octobris* 1628.

X. Miſſa ut in die obitus præſente cadavere ultra Miſſam de Commemoratione Defunctorum celebranda erit, quando aliquis obierit in die Comm. omnium fidelium Defunctorum. *S. R. C.* 14. *Aprilis* 1646.

XI. Non licet in Altari privilegiato dicere Miſſam *de Req.* in diebus, quibus concurrit feſtum 1. vel 2. *Claſſ.* non obſtante conſuetudine immemorabili. *S. R. C.* 25. *Septembris* 1649.

XII. Miſſæ privatæ Defunctorum quocum-

cumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & in diebus Dominicis. *S. R. C. 15. Febr. 1659.*

XIII. Miſſæ Exequiales Defunctorum in die depoſitionis poſſunt ſolemniter celebrari induplicibus, non de præcepto. *S. R. C. 19. Septembris 1654.*

XIV. Nulli Sacerdoti Sœculari, nec Regulari licet Miſſas celebrare *de Requiem* in feſtis dupl. *S. R. C. 5. Auguſt. 1662.*

XV. Miſſæ de Requiem annuatim dicendæ juxtà benefactorum præſcriptum ſi inciderint in feſto duplici, fiant de duplici cum applicatione Sacrificii. *S. R. C. 5. Auguſt. 1662.*

XVI. In Die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificium poteſt applicari pro omnibus, & ad libitum. *S. R. C. 4. Augſt. 1663.*

XVII. Miſsæ Anniverſariæ de Requiem in cantu celebrari poſsunt etiam in duplici maj: quod non ſit de præcepto. *S. R. C. 22. Novembris 1664.*

XVIII. In die, quo celebratur feſtum dupl. etiam translatum prohibentur Miſsæ *de req.* privatæ. *S. R. C. 31. Julii 1665.*

XIX. Miſsæ de Requiem ad Altare privilegiatum celebrandæ poſsunt dici de feſto currenti ad idem Altare, & valet

let privilegium, ac sì dictæ esent de Requiem. *S. R. C. 25. Sepsembris 1669.*

XX. Missæ Defunctorum celebrantur cum nigro, vel saltem violaceo colore. *S. R. C. 12. Septembris 1671.*

XXI. Missæ cantatæ Defunctorum infr. oct. Corporis Christi præsente cadavere, permittuntur. *S. R. C. 12. Decembris 1671.*

XXII. Durante expositione regulariter celebrari non potest Missa privata *de Reqniem*, neque cantar Missa pro adimplenda mente Testatoris, & Anniversſ. satisfaciendo. *S. R. C. 2. Decembris 1684.*

XXIII. Cum primum accipitur nuntium de obitu alicujus in loco dissito defuncti potest cantari Missa *de Requiem* prò illius anima in duplici etiam majori, sed non de præcepto, ut citiùs ipsiùs animæ suffragetur. *S. R. C. 4. Maii 1686.*

XXIV. In anniversario translato ob festum de præcepto non debent in oratione variari illa verba: *cujus Anniversarium commemoramus*, sed dicenda est oratio, ut in Missali. *S. R. C. 4. Maii 1686.*

XXV. Anniversaria, & Missæ quotidianæ cantatæ relictæ ex dispositione testatorum

torum certis diebus, his impeditis, die Dominico, vel alio testo de præcepto cantari possunt in diebus antecedentibus, vel subsequentibus, in quibus occurrat officium de testo dupl. etiam Maj, non tamen de præcepto. *S. R. C. 4. Augst. 1686.*

XXVI. In die Commemorationis Fidelium Defunctorum potest fieri officium de duplici minori etiam translato, sed Missæ privatæ sunt celebrandæ *de Requiem*, *S. R.C. 5. Octobris 1686.*

XXVII. Missæ privatæ *de Requiem* præsente cadavere non possunt dici in diebus, quibus fit de Officio dup. & aliis a Rubrica vetitis, non obstante &c. *S. R.C. 10. Januar. 1693.*

XXVIII. In Commemor. Omnium Fidelium Defunctorum Officium potest fieri de testo duplici minori, sed Missæ sunr celebrandæ *de requiem*. *S.R.C. 27. Septembris 1796.*

XXIX. In Anniversario occurrente in testo dupl. 2. *Class.* non potest cantari Missa *de requiem*. *S. R. C. 5. Julii 1698.*

XXX. In duplicibus primæ classis etiam præsente cadavere non potest cantari Missa Defunctorum. *S.R.C. 5. Julii 1698.*

XXXI. Infra Octavas privilegiatas non potest cantari Missa Defunctorum in Anni-

Anniverſario, & officio ſolemni. *S. R. C. 5. Julii 1698.*

XXXII. In Die Depoſitionis, & Anniverſarii non poteſt cantari Miſsa Defunct. loco conventualis. *S. R. C. 5. Julii 1698.*

XXXIII. Si Anniverſarium anticipatur, & poſtponatur per aliquot dies, poteſt dici Miſsa, ut in Anniverſario. *S. R. C. 5. Julii 1698.*

XXXIV. In Eccleſiis Parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, & ſine cantu, poteſt dici Miſsa *de requiem*, quando Anniverſaria ex teſtatorum diſpoſitione, recurrente obitus die, incidunt in feſtum duplex majus. *S. R. C. 19. Junii. 1700.*

XXXV. In Die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum non poteſt celebrari Miſsa ſolemnis *de requiem* poſt primam. *S. R. C. 22. Januar. 1701.*

XXXVI. In vigilia Epiphaniæ licet celebrare Miſsas cantatas, non vero privatas pro Defunctis. *S. R. C. 16. Junii 1708.*

S. TER-

§. TERTIUS

De Decretis, quæ Miſſas in Communi reſpiciunt.

I. SI Eccleſiæ Dedicatio accidat in feſto Nativitatis B. M. V. duæ Miſsæ poſsunt eodem die cantari. Infra oct. verò fiat de dignori: *S. R. C. 16. Octobris 1603.*

II. A fer. 5. Majo Hebd. uſque ad fer. Paſch. incluſive non poteſt celebrari Miſsa de Annunc. B. M. V. *S. R. C. 9. Maii 1606.*

III. Non poteſt celebrari Miſsa in Oratoriis privatis & privilegiatis. In feſtis ſolemnioribus puta: in die *Nativit., & Epiphaniæ*. Fer. 5. in cæna Domini. Paſchate Penteç. Annunciatione B. M. V. Aſcens. Aſſump. SS. Apoſtol. Petri & Pauli, & omnium SS. *S. R. C. 17. Novembris 1607.*

IV. Qui habet onus celebrandi Miſsam de Roſario [exceptis Patribus Dominicanis] poteſt aliam dicere de B. M. V. *S. R. C. 6. Maii 1623.*

V. Miſsas, quæ de Patre Æterno circumferuntur a *S. C.* non probatas & alias 15. Auxiliatorum *S. R. C.* prohibuit & damnavit. 8. *Apail. 1628.*

VI. Miſsæ Roſarii, & de Monte Carmelo

lo non niſi certis Regularibus conceſsæ ſunt. *S. R. C. 8. April. 1628.*

VII. Miſsa S. Rocchi conceditur tantum in Eccleſiis ad ejus honorem Deo dicatis. *S. R. C. 26. Novembris 1629.*

VIII. Ubi expreſsè jubetur Miſsa ſine applicatione Sacrificii, poteſt Sacerdos accipere ſtipendium pro eadem Miſsa. *S. R C. 13. Julii 1630.*

IX. Miſsa S. Honuphrij poſt bullam Pii V. nullo modo permittenda eſt. *S. R. C. 17. Novembris 1632.*

X. Non poteſt prohiberi celebratio Miſsæ in oratorio rur ædificato per Laicum antequam celebratur Miſsa Parochialis. *S. R. C. 31. Mart. 1639.*

XI. In nocte Nativitatis Domini cantata prima Miſsa, aliæ duæ non ſunt immediatè celebrandæ. *S. R. C. 7. Decembris 1641.*

XII. Miſsa de Dom. Pentecoſtes non poteſt repeti in Sabbato 4. temp. Pentecoſtes. *S. R. C. 14. April. 1646.*

XIII. Miſsa non poteſt celebrari cum ceſarie ficta, vulgo *Perruca*, *S. R. C. 3. Auguſt. 1651. in Meliveta.*

XIV. Miſsa in fer. 5. Maio Hebd. non poteſt celebri in oratoriis Confratrum, & privileg. *S. R. C. 8. Febr. 1653.*

XV. In Novemdio Nativitatis Domini, ubi adeſt antiquiſſima conſuetudo, vel

vel concurſus populi poteſt, cantari una miſsa votiva Solemnis de B. M. V. quamvis in ipſis occurrat feſtum S. Thom. vel Dom. 3. 4. advent. non omiſsa tamen Conventuali ſtata hora celebranda. *S. R. C.* 28. *Septembris* 1658.

XVI. In die tituli cujuslibet Eccleſiæ, vel Oratorij Miſsa cum Glor. & Cred. celebratur. *S. R. C.* 4. *Auguſt.* 1658.

XVII. Miſsæ currentes in honorem alicujus Beati non Canonizati non poſſunt celebrari ſine ſpeciali indulto S. Sedis Apoſtol. *S. R. C.* 28. *Septembris* 1658.

XVIII. Miſsæ celebratio in fer. 5. in cæna Domini fit in Altari cum aſsociatione Sanctiſſimi Sacramenti. *S. R. C.* 14. *Junii* 1659.

XIX. Miſsæ de Beatis certis perſonis indultæ, puta Præsbiteris alicujus Eccleſiæ, ab aliis etiam Cardinalibus, celebrari non poſsunt. *S. R. C.* 27. *Septembris* 1659.

XX. Miſsæ omnes de Sanctis ſub ritu duplici excluduntur ab Octava Epiph. præter ea, quæ ſunt. I. Claſ. nempe Titul. Patron. prinp., & Dedicationis Eccleſiæ. *S. R. C.* 20. *Novembris* 1660.

XXI. In Miſſis de Beatis, quæ ritu dupl. maj

maj celebrantur, non debet dici Credo. *S. R. C.* 12. *Julii* 1664.

XXII. Miſsa S. Crucis non debet ullo modo celebrari die Veneris infra oct: Nativitatis. *S. R. C.* 13. *Jan.* 1669.

XXIII. Miſsa ſecunda de Paſſione Domini cum Glor. Cred. SS. Crucifixi ſingulis Dominicis, præter Reſurectionis Domini, & Pentecoſtes non conceditur. *S. R. C.* 2. *Julii* 1669.

XXIV. Miſsa in Altari coram Sanctiſſimo Sacramento prohibetur [intellige privata] præſertim ſi in Eccleſia adſint alia altaria *S. R. C.* 9. *Auguſti* 1670.

XXV. In Miſsa privata de Semid. Simp. votiva vel infra Oct. ſive de fer. non privilegiata poteſt penultimo loco dici collecta pro defuncto; puta *Inclina*, vel *Deus, qui nos Patrem* &c. ſed, ob id non eſt ommittenda ulla ex collectis pro tempoee aſſignatis; puta a *Cunctis*, vel *Eccleſiæ*. *S. R. C.* 2. *Decembris* 1684.

XXVI. Si in Sabbato infra aliquam Oct: B. M. V. celebretur Officium de aliquo Sancto eo die occurrente, volens eo die celebrare Miſsam votivam de B. M. V. tenetur dicere Miſsam votivam cum Gloria, ſed ſine Credo. *S. R. C.* 2. *Decembris* 1684.

XXVII. Qui in Sabb. recitat officium de B. M. V. volens celebrare Miſsam de aliquo Sancto, non debet dicere *Gloria in Excelſis*, nec præfationem B. M. V. ſed Communem. *S. R. C. 2. Decembris 1684.*

XXVIII. In Eccleſiis B. M. V. dicatis ſeu aliis ſanctis, ubi adeſt conſuetudo ſingulis Sabbatis immemorabilis celebrandi Miſsam votivam de B.M.V. eſt celebranda, etiamsi occurrat ea die Officium duplex. *S.R.C. 2. Decm. 1684.*

XXIX. Occurrente feſto S. Annuntiationis B. M. V. in Sabb. Sancto celebratio Miſsarum privata omnino prohibetur in quibuſcumque Eccleſiis, & oratoriis tùm privatis, cùm & publicis, non obſtante conſuetudine immemorabili, ſed unica tantum Miſſa conventualis una cum officio ejudem Sabbati Sancti erit celebranda. *S. R. C. 11. Martii 1690.*

XXX. Feſtum Annunciationis occurrens in Sabbato Sancto transferendum eſt ad fer. 2. poſt Dominicam in Albis, tamquam ad diem propriam, & fixam. *S. R. C. 11. Febr. 1690.*

XXXI. Si occurrat in feria 5. in Cœna Domini; ſervandum eſt Decretum generale pro feſto S. Joſeph: vide §. 4. ſequen. num. 27. *S.R.C. 11. Jan. 1593.*

XXXII.

XXXII. Si in die S. Marci poſt proceſſionem Miſsa unica cantetur, ipſa debet eſſe de Rogationibus, *S. R. C. 10. Januarii 1693.*

XXXIII. In feſtis SS. Martirum Confeſs., & Virginum, quæ celebrantur ſub ritu dupl. maj non eſt dicendum Symbolum in Miſsa, ſed ſerventur Rubricæ generales Miſsalis Rom. *S. R. C. 19. Junii 1700.*

XXXIV. Sacerdotes exteri recurrentes ad Eccleſias etiam Regularium, & celebrantes de Sanctis etiam Ordinis, quando feſtum celebratur cum ſolemnitate, & concurſu populi, debent in Miſſis ſe uniformare cum Sacerdotibus illius Eccleſiæ etiam Regularibus quo ad Credo, & numerum orationum more duplici. *S. R. C. 11. Junii 1701.*

XXXV. In Vigilia Epiphaniæ dici non poſſunt Miſsæ privatæ Defunctorum. *S. R. C. 16. Junii 1708.*

XXXVI. Occurrente Vigilia Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ in feſto Corporis Chriſti, de eadem vigil. nihil fit in Miſsa. *S. R. C. 2. Octobris 1706.*

XXXVII. Occurrente Comm. feſti ſimpl. in fer. 2. poſt Dominicam Paſſionis in Miſsa dicenda eſt 2. *oratio ſimpl.* tantùm. *S. R. C. 4. Maii 1709.*

XXXVIII. Si in Vigilia Omnium SS. occurrat dici Miſsam de feſto ſemid. poſt orationem Vigiliæ 3. *erit a cunctis* & non de Spiritu Sancto. *S. R. C. 29. Junii 1710.*

XXXIX. In feſto B. M. V. de Monte Carmelo dicenda eſt Miſsa a Sede Apoſtolica approbata, quæ incipit: *Gaudeamus* juxta præſcriptum felic. record. Bened. XIII. *S. R. C. 5. Maii 1736.*

XXXX. Quando feſtum S. Petri Martiris erit extra tempus Paſchale transferendum, Evangelium in Miſsa erit *si quis venit ad me. S. R. C. 5. Maii 1636.*

XXXXI. In Miſsa coram expoſito cantata debet fieri comm. de Sanctiſſimo Sacramento poſt omnes alias de præcepto, & in ſolemni 1. & 2. *Claſſ.* tantum ſub unica concluſione. *S. R. C. 23. Junii 1736.*

XXXXII. Occurente Vigilia aut fer. 4. temp. infr. oct. Conceptionis, Miſſa B. M. V. erit de fer. 4. temp. cum 2. *orat.* octavæ & 3. de Spiritu Sancto; ſi vero occurerit in die oct. omnes Miſsæ privatæ dicuntur de oct. cum commem. fer. *S. R. C. 23. Junii 1736.*

XXXXIII. Occurrente feſto duplici ad vigiliam alicujus Apoſtoli, in Miſsa feſti 3. *or*, debet eſse *a cunctis*. *S. R. C. 15. Septembris 1736.*

XXXXIV.

XXXXIV. Occurrente feſto ſimpl. a Dominica Paſſionis uſque ad fer. 5. & infr. oct. Paſchat. & Pentec. in Miſſis ferialibus non eſt dicenda *3. oratio Eccleſiæ, vel pro Pap. S. R. C. 15. Septemb. 1736.*

XXXXV. Si in Dominica ſeptuag. & quinquag. occurrat feſtum Purificationis B. M. V. in Eccleſiis eidem dicatis puta, Annunciationis: Miſsa ſolemnis poſt benedictionem candelarum, & proceſſionem debet cantari de Dom. *S. R. C. 15. Septembris 1736.*

§. QUARTUS.

De Decretis, quæ aliquem cum Miſſa reſpectum habent.

I. IN collecta a cunctis nomina Patron. S. Michaelis Archang., & S. Joannis Baptiſtæ præponenda ſunt aliis, etiam Apoſtolis. *S. R. C. 22. Auguſt. 1620.*

II. Annuli uſus prohibetur Prothonotariis non participantibus, & quibuſcumque Doctoribus. *S. R. C. 11. Febrar. 1623.*

III. In feſto Stigm. S. Franciſci color albus eſt adhibendus. *S. R. C. 9. Decembris 1623.*

IV. Facultas concedendi uſum Pileoli in

Miſsa ſpectat ad Papam. *S. R. C.* 24. *Aprilis* 1626.

V. In Miſsa fer. 4. temporum occurrentis in die octava Nativitatis B. M. V. dicenda eſt Præfatio communis, non verò de octava. *S. R. C.* 12. *Decembris* 1626.

VI. Signum, quod fit cum patena a fronte ad pectus, fit integrum cum ſigno Crucis, poſt quod debet oſculari patena. *S. R. C.* 13. *Mart.* 1627.

VII. In feſto SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi. Inventionis S. Crucis S. Joannis ante portam lat. occurrent. inf. oct. Aſcenſionis, Præfatio erit de Apoſtolis vel de Cruce, & Communic. de Aſcen. *S. R. C.* 28. *Auguſti* 1727.

VIII. In feſtis 1. claſ. non dicitur oratio *Deus refugium* juſſa a majoribus pro re gravi. *S. R. C.* 28. *Auguſti* 1727.

IX. In Altari ſub quo ſunt ſepulta corpora Defunctorum Miſſa non poteſt celebrari. *S. R. C.* 11. *Junii* 1629.

X. Parochi in feſtis non poſſunt recipere nova ſtipendia prò Miſſis. *S. R. C.* 7 *Septembris* 1729.

XI. Cappellani ſocietatum non poſſunt prohiberi a Parocho celebrare Miſſam ante Miſsam Parochialem. *S. R. C.* 11. *Novembris* 1741.

XII. In Canone omnino facienda eſt com-

commemoratio de Epiſcopo etiam ab exemptis. *S. R. C. 25. Sept. 1658.*

XIII. In die tituli cujuslibet Eccleſiæ vel Oratorii, Miſsa cum Glor. & Cred. celebratur. *S. R. C. 4. Auguſ. 1658.*

XIV. Patena ad Miſsam in extremitate, ſeu ora patenæ congruentiùs eſt oſculanda. *S. R. C. 24. Julii 1683.*

XV. In Altari, in quo adeſt magna Statua SS. Crucifixi, non eſt neceſse, ut ponatur alia Crux, dum celebratur Miſsa. *S. R. C. 16. Junii 1663.*

XVI. Paſſio in Miſſis privatis legi debet in cornu Evangelii à celebrante. *S. R. C. 4. Auguſt. 1663.*

XVII. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote ſuper oblata, non ſunt faciendæ manu tranſverſa, ſed manu recta in tranſverſa parte Crucis. *S. R. C. 4. Auguſ. 1663.*

XVIII. Manus Sacerdotis *adhanc igitur* debent ita extendi, ut palmæ ſint apertæ pollice dextro ſuper ſiniſtrum in modum Crucis ſupra manum poſito, non verò infrà. *S. R. C. 4. Auguſ. 1663.*

XIX. Quando Sacerdos dicit *Pax Domini &c.* pars inferior, non ſuperior præcidi debet. *S. R. C. 4. Auguſ. 1663.*

XX. Canonici quando Miſsam celebrant uti poſsunt annulo aureo, ſed ſine gemma, & ſine aliqua effigie *S. R. C. 4. Auguſ. 1663.*

XXI. In Miſsa privata de duplici, vel ſemid. de quo tali die fit Officium, poteſt fieri comm. de SS. Sacramento occaſione 40. hor. expoſito; ſed omitenda in feſtis 1. & 2. *claſſ. S. R. C. 2. Decembris* 1684.

XXII. In duabus Miſſis Nativitatis Domini 2. & 3. eundo, & redeundo ad medium Altaris non eſt facienda genuflexio; & dans benedictionem Sacerdos debet renes vertere ad Altare licet ſpecies vini non ſint exiccatæ in calice. *S. R. C. 20. Julii. 1686.*

XXIII. Occurrente feſto S. Marci in die Dominico, in Miſsa rogationum non dicitur *Credo*, quia eſt Miſsa fer. *S. R. C. 23. Septembris* 1688.

XXIV. Non eſt omittenda una ex aſſignatis orationibus in Miſsa veluti 3. *a cunctis* ſi ſecunda eſset de feſto ſimplici, ut ejus loco dicatur oratio imperata, ſed poſt 3. orationem poteſt, & imperata dici, cum in Miſsa de ſemid. ſimp. vel votiva non ſunt neceſsariò dicendæ collectæ impareſ. *S. R. C. 2. Decembris* 1684.

XXV. In Miſsa Patroni minus Principalis non debet dici Credo. *S. R. C. 2. Decembris* 1684.

XXVI. Quando occaſione belli contra Turcas dicitur collecta, vel Miſſa C. *Paganos*

ganos, non poteſt mutari nomen Paganorum dicendo: *Turcarum*, *vel Hæreticorum*. *S. R. C.* 30. *Julii* 1989.

XXVII. Si Feſtum S. Joſeph occurrat in fer. 5. majoris hebdomadæ ejus Officium transferendum erit ad aliam diem, juxta Rubricam breviarii Rom. & decreta *S. R. C.* cæterum præceptum audiendi Miſſam erit in prædicta fer. ſervandum. *S. R. C.* 13. *Septembris* 1692.

XXVIII. In Eccleſiis, in quibus eſt expoſitum SS. Sacramentum occaſione 40. horarum congruentius abſtinendum eſt a celebratione Miſſarum defunctorum, etiamſi ex præſcripto Teſtatorum eſſent celebrandæ. *S. R. C.* 27. *Aprilis* 1697.

XXIX. Occurente feſto S. Marci infr. oct. Paſchatis, in Miſſa Rogationum non eſt dicendum Credo. *S. R. C.* 5. *Julii* 1698.

XXX. Non poſſunt Canonici in celebratione Miſſæ uti Palmatoria, vulgo *Bugia*. *S. R. C.* 11. *Julii* 1699.

XXXI. In Sacrificio Miſſæ non eſt adhibenda palla a parte ſuperiori drappo ſerico cooperta. *S. R. C.* 22. *Jan.* 1701.

XXXII. Sacerdos in Miſſæ Sacrificio convenientius vtitur cingulo lineo, quam ſerico *S. R. C.* 22. *Januar.* 1701.

XXXIII.

XXXIII. In Miſſa Conventuali dierum ſolemnium, quæ abſque cantu celebratur, non eſt facienda Thurificatio. *S. R. C. 22. Januar. 1701.*

XXXIV. In 1. & 2. Miſſa, quæ celebratur in feſto Nativitatis D. N. J. C. non debet fieri purificatio calicis. *S. R. C. 16. Septembris 1702.*

XXXV. Sacerdotes non debent deferre manutergium ſuper calicem tam eundo quam recedendo ab altari. *S. R. C. 10. Septembris 1703.*

XXXVI. In Oratoriis privatis per S. Sedem conceſſis nulli licet, etiam ſi ſit Epiſcopus, celebrare in diebus Paſchatis D. N. J. C. aliiſque anni feſtis ſolemnioribus. *S. R. C. 15. Decembris 1703.*

XXXVII. In Oratoriis privatis, in quibus una conceditur Miſſa celebranda, hac celebrata, nullus aliam neque Epiſcopus celebrare poteſt, & ſi in die feſtivo illam celebraverit, audientes non ſatisfaciunt præcepto audiendi Sacrum. *S. R. C. 15. Decemb. 1703.*

XXXVIII. In fer. III. Rogationum non dicitur 2. oratio Dominicæ. *S. R. C. 25. Septemb. 1706.*

XXXIX. Confeſſario & Capellanis tantum quomodocumque Monialium ſervitio addictis licitum eſt Miſſam Sanctorum,

rum, de quibus ipſæ recitant Officium, celebrare, ſed cum Miſſali Rom. & de Comm. non verò Miſſas proprias earumdem *S. R. C.* 2. *Novembris* 1707.

XXXX. Super altare, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum apponenda eſt Crux. *S. R. C.* 14. *Maii* 1707.

XXXXI. Cingulum 3. indumentum Sacerdotale poteſt eſſe coloris paramentorum. *S. R. C.* 8. *Junii* 1709.

XXXXII. Commemoratio in Miſſa pro conſecratione Epiſcopi; quando ratione feſti occurentis dicitur Miſſa de feſto habente plures commemorationes, debet uniri cum oratione Miſſæ, & dici ſub unica concluſione. *S. R. C.* 8. *Junii* 1709.

XXXXIII. Quando 3. Oratio in Miſſis eſt *ad libitum* & ex juſſu Superioris debet apponi alia pro publica indigentia, hæc debet recitari tamquam ex præcepto 4. loco, non omiſſa 3. loco illa, quæ *ad libitum*, ſeu pro devotione Sacerdotis eſt eligenda. *S. R. C.* 17. *Aug.* 1709.

XXXXIV. Si feſtum Annunciationis venerit in fer. 5. Major. hebd. extat præceptum audiendi Miſſam; adeoque per Ordinarios locorum eſt providendum, ut eo die, pro Civitatum, & Pagorum utilitate, ac Chriſti Fidelium nu-

numero tot Miſsæ ante Conventualem celebrentur pro præcepti adimplemento, quot opus erit *S. R. C.* 12. *Decemb.* 1716.

XXXXV. Ab orationibus expungenda ſunt cognomina, & patriæ Sanctorum. *S. R. C.* 23. *Junii* 1736.

XXXXVI. Si ſecunda Oratio ſit de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentio, 3. non debet concludi: *ejuſdem Spiritus Sancti Deus*. *S. R. C.* 15. *Septemb.* 1736.

XXXXVII. Sequentia in Miſsa de SS. Nomine Jeſu eſt omitenda *S. R. C.* 16. *Februarii* 1737.

DISSERTATIO V.

De ſervandis a ſacerdote ante Miſſam.

SAcerdos quilibet Sacroſanctum tremendumque Miſsæ Sacrificium peracturus, ſeriò & attente ut diximus conſiderare debet, quali penes Deum legatione fungatur, cujuſque in iſtiuſmodi actione peragenda vices gerat: Hæc ſi mature perpenderit, non indevotè, vel negligenter hoc munus obierit, cum ſcriptum meminerit: *Maledictus homo, qui facit opus ſuum negligenter*. Ut autem dignè, quantum in eo erit, opus hoc peragere valeat, ad hæc, quæ ſequuntur animum etiam, atque etiam appellat. CA-

CAPUT PRIMUM.

De Modo Miſſam celebrandi.

MOnendus eſt in primis Sacerdos, ut ſi ſuo muneri digne ſatisfacere velit, quinque ante omnia primas alphabeti litteras ſcilicet: *A. B. C. D. E.* præ oculis habeat, ut nempe Miſsam *Attente*, *Breviter*, *clarè*, *Devotè*, & *Exactè* celebret: de quibus modis ſingulis in ſequentibus.

§. PRIMUS.

Attentè.

Attentè Miſsam celebrare debet Sacerdos, verba ſcilicet clara voce proferendo, ità ut facile audiatur, ſed non tam altè, ne ſic alios celebrantes Sacerdotes, populumque adſtantem perturbet: quæ autem verba clarè, quæ mediocri, quæque ſubmiſsa voce dicenda ſunt, infra in *Sect.* 2. oſtenſum ibo.

§. SECUNDUS.

Breviter.

SIt brevis Miſsa, illamque Sacerdos brevi tempore peragat, ſed non multum feſtinanter; quippe ſic advertere non poterit ad ea, quæ

quæ legit; nec multum morosè, ne sic circumstantes tædio afficiat, est ergo illi media eligenda via, ut tutissimus eat. Quamobrem, ut omnes ferè Moralistæ docent, ab initio Missæ ad usque gratiarum actionem post Missam peragendam semihoræ tempus satis esse videtur.

§. TERTIUS.

Clarè.

SAcerdos integrè verba proferre debet non illa devorando, nec dimidiando, vel quod pejus est omittendo: quippe ex paucorum omissione poterit ad notabilem quantitatem devenire, & tunc grave committeret peccatum: verum ad peccatum grave committendum minor verborum quantitas requiritur in Canone, quam extrà.

§. QUARTUS.

Devotè.

DEvotio, qua Sacerdos Missam celebrare tenetur, in eo consistit, quod ad ea, quæ dicit, attendat.

Et quidem duplex est attentio: externa, & interna: Attentio externa consistit in exteriori Corporis compositione: interna est applicatio Intellectus ad ea, quæ dicuntur.

Ad

Ad ea autem, quæ Sacerdos profert triplicem habere debet attentionem: primam *ad verba*, ut ea rectè proferat: secundam *ad ſenſum*, ut verborum ſignificatum intelligat: Tertiam *ad miſterium*, ut in eo pius excitetur affectus.

§. QUINTUS.

Exactè.

EXactè tandem Sacerdos Miſsam celebrare dicitur, cum ea omnia, quæ Miſsalis Rubrica præſcribit circa modum verba proferendi, cæremoniaſque ſervandi, nec non S. R. C. decreta ad Miſsæ Sacrificium ſpectantia adamuſſim ſervet, de quibus omnibus nos in ſequentibus Diſsertationibus.

CAPUT SECUNDUM.

De modo proferendi verba in Miſſa.

DIximus in §. 1. *cap.* 1. præcedentis Diſſert. quod verba in Miſsa non eodem modo proferri debent, ſed aliqua clara, alia mediocri, & plura tandem ſubmiſsa voce ſunt proferenda: de his in ſequentibus.

§. PRI-

§. PRIMUS.

De his, quæ in Miſſa clara voce ſunt dicenda.

IN Miſsæ Sacrificio *clarè* debet proferre Sacerdos, ita ut ab omnibus Circumſtantibus audiatur, ſequentia: ſcilicet.

A principio Miſsæ uſque ad *Aufer* excluſivè.
Ab introitu uſque ad *Munda cor meum* excluſive.
A principio Evangelii uſque ad offertorium incluſivè.
A Præfatione uſque ad *Sanctus* excluſive.
A Per *omnia ſæcula*, uſque ad, ſed *libera nos a malo* excuſivè.
A Poſtcomm. uſque ad *Benedicamus Domino*, *vel ite Miſſa, eſt vel requieſcant in pace* incluſivè.
A Benedictione uſque ad totum Evangelium finale.

§. SECUNDUS.

De his, quæ mediocri voce dicuntur.

SUnt, & alia verba in Miſsa, quæ mediocri voce ſunt proferenda, ut ſcilicet non niſi a ſolo miniſtro audiri poſſint, & ſunt.

Hæc tantum duo verba: *orate fratres*.
Sanctus uſque ad *Benedictus* incluſivè.

Hæc

Hæc tria tantum verba: *Nobis quoque peccatoribus.*

Hæc tantum verba *Domine non ſum dignus,*

§. TERTIUS.

De his, quæ ſunt ſubmiſſa voce dicenda.

SUbmiſſa voce proferri debent cætera, ut *totus Canon, Aufer, munda,* & alia, & ſubmiſſa voce ità profeſſi debent, ne vel ab ipſo Miniſtro audiantur.

CAPUT TERTIUM.

De inclinationibus.

VErbis ut plurimum in Miſſa geſta adiunguntur, ſive inclinationes, quæ mox Altari, mox libro fiunt; conſequens eſt ergò ut dehis in ſequentibus loquar.

§. PRIMUS.

De inclinatione profunda.

TRiplex eſt inclinatio: *Profunda*, *Media*, & *Infima*: *Profunda* tunc eſt quando ità corpus, humeroſque curvet Sacerdos, ut manuum extremitatibus genua tangere poſſit. *Media* eſt inclinatio capitis, & aliquantiſper

humerorum. *Infima* eſt ſollus capitis inclinatio.
Inclinatio profunda, de qua in præcidenti, fit.
Imagini in ſacriſtia in receſſu, & acceſſu.
Cruci Altaris, ad quod celebraturus accedit in acceſsu, & receſſu.
Prælatis in Rubrica expreſſis.
Ad totum *Confiteor*.
Ad *Munda cor meum*, & ad *Jube Domine*.
Ad *Te igitur*.
Ad *Supplices te rogamus*.

§. SECUNDUS.

De inclinatione Media.

Media Inclinatio fit a Sacerdote ad ſequentia.
Ad verba: *Deus Tu converſus* uſque ad *Dom. vobiſc.* incluſivè.
Ad *oramus te Domine*.
Ad *In Spiritu humilitatis*.
Ad *Suſcipe Sancta Trinitas*.
Ad Triſagium uſque *ad Benedictus* excluſ.
Ad utramque Conſecrationem.
Ad *Agnus Dei* uſque ad ſumptionem incluſivè.
Ad *Placeat tibi*.

§. TER-

§. TERTIUS.

De Inclinatione Infima.

INfima tandem inclinatio a Sacerdote fierf in Miſſa debet.

Ad nomina *Jeſus*, & *Mariæ*.

Ad nomen Sancti, cujus ſit feſtum tùm in oratione, cum & in Canone.

Ad *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto*.

In hymno Angelico ad verba: *Deo*: *Laudamus te*: *Adoramus te*: *Gratias agimus tibi*: *Jeſu Chriſte*: *Suſcipe deprecationem noſtram* & *Jeſu Chriſte*.

In Symbolo ad verba: *Deum* & *Adoratur*.

DISSERTATIO VI.

De Servandis a Sacerdote a præparatione Ante Miſſam facienda uſque ad egreſſum a Sacriſtia.

MUlta ſanè ſunt, quæ ſervari a Sacerdotibus debent in Sacriſtia, antequam ad Miſſæ Sacrificium celebrandum exeant, quæ claritatis gratia ſejunctim in ſequentibus proponentes, Praxim etiam, ſive modum offerendi Sacrificij, fructuſque applicandi, tradam.

CAPUT PRIMUM.

De orationibus Præparatoriis, Intentione, & aliis.

HIc Rubrica Miſſalis monet, ut Sacerdos Miſſæ Sacrificium celebraturus, matutino ſaltem cum laudibus perſoluto [quod tamen conſulere videtur Rubrica, ſed non præcipere] orationi aliquantisper vacet, quo magis ad attentionem, & deuotionem erga tantum Sacrificium animus excitetur; quas autem orationes debet Sacerdos ante Miſſam recitare, ſequens demonſtrabit.

§. PRIMUS.

De orationibus a Rubrica pro præparatione præſcriptis.

IN omnibus ferè Sacriſtiis Tabellæ aliquæ apponi ſolent, in quibus orationes *pro opportunitate Sacerdotis* dicendæ, deſignantur, Ibi quidem notatur, quod Antiphona *ne reminiſcaris* in duplicibus dicitur ritu duplici, cui tempore Paſchali additur *Alleluja*.

In Semiduplicibus, & *in Miſſis defunctorum* dicitur ritu ſemiduplici.

Pſalmi qui ſequuntur poſſunt dici vel omnes vel aliqui pro Sacerdotum devotione.

In fine cujuſque Pſalmi dicitur *Gloria Patri*, etiam

etiam in Miſſis defunctorum, quia Rubrica loquens de his, que omitenda ſunt in Miſſis defunctorum, nullam de *Gloria Patri* in fine Pſalmorum mentionem facit, excepta miſſa *fer. 5. in Cœna Domini*.

Terminatis Pſalmis replicatur Antiphona, in fine cujus tempore Paſchali additur *Alleluja*.

Tandem dicuntur orationes ad libitum Sacerdotis.

§. SECUNDUS.

De Intentione a Sacerdote facienda.

MUlta alia præter dicta ſpectant ad hujuſmodi præparationem, & quidem primo intentio, de qua in præſenti.

Sacerdos ergò, ne illi diù in Sacrificio immorandum erit, antequam celebraturus exeat, intentionem celebrandi ac conficiendi Corpus & Sanguinem Chriſti habere debet, illamque juxta ritum S. R. E. facere.

Intentio eſt motus voluntatis in finem, quo quis intra ſe dicit: *volo id, vel illud conficere*.

Intentio hæc triplex eſt: Actualis, Virtualis, & Habitualis. *Actualis* intentio eſt volitio actualis hoc vel illud hic, & nunc faciendi. *Virtualis* eſt volitio antecedens non retractata, & adhuc perſeverans. *Habitualis* eſt habitus, & facilitas faciendi aliquod ex con-

ſuetudine, eodem modo, quo ed quandoque faciunt dormientes.

Ex his prima eſt omnium optima: Secunda ſufficit: Tertia nihil prodeſt, quia operans ex habitu, humano modo non operatur.

Formam autem hujus intentionis habes in ſupradictis Tabellis. Cujus formæ eſſentialia ſunt: *Ego intendo conficere corpus & Sanguinem Domini Noſtri, cum ſuper utramque materiam formam utramque proferam, etiamſi tunc nihil intendam, vel ad actum conſecrandi non advertam.*

§. TERTIUS.

De Sacrificii oblatione.

DIximus in *Diſſert. 1. §. 3.* quod novæ legis Sacrificium omnia legis naturæ, & ſcriptæ in virtute contineat ſacrificia, propterea eſt *Latreuticum &c.*

Et quidem Miſſæ Sacrificium, ut *Latreuticum. & Euchariſticum* non applicatur, ſed Deo offertur, quorum praxim mox pona.

PRA-

PRAXIS.

Offerendi Miſſæ Sacrificium ut Latreuticum.

Sancta, & Individua Trinitas, unus Deus rerum omnium Principium, & Finis, ego N. toto corde, & corpore ante Majeſtatem tuam proſtratus adoro Te, & Tibi hoc Sacrificium D. N. J. C. dum verba conſecrationis ſuper materias profero, conficere intendo ad majorem Tui gloriam, in proteſtationem Tui ſupremi dominii, & in recognitionem ſummæ Tuæ in nos excellentiæ: & quamvis tot peccatis indignus ſim, ut accedam, nomine tamen Chriſti, cujus indignus ego ſum Miniſter, accedere audeo: Deprecor Te, igitur, ut ad orationem hanc meam in ſupplementum mearum injuriarum acceptis.

PRAXIS.

Offerendi Sacrificium ut Euchariſticum.

Deus ſumme Bone, cum Tibi ego N. dignas referre gratias non poſſim pro tantis in me collatis beneficiis, quod me de nihilo creaſti, quod in Eccleſiæ ſinu me naſci voluiſti peccantem toleraſti, totque mihi media ad converſionem ſuppeditaſti; Unigenitum Filium Tuum in Sacrificium Euchariſticum Tibi offerre in-

tendo una cum omnibus gratiarum actionibus ejuſdem Filii Tui, Beatiſſimæ Virginis, & omnium Sanctorum. Pro illius Incarnatione, Paſſione, & Morte, & pro tot aliis in homines univerſos collatis beneficiis: optarem ut Tibi omnes, Creaturæ gratias agerent.

Hic eſt modus breviſſimus Sacrificium ut *Latreuticum & Euchariſticum* offerendi, licet alii longiorem, diffuſioremque adhibere ſolent, de quibus lege Auctores.

§. QUARTUS.

De Sacrificii applicatione.

SAcrificium qua *propitiatorium, impetratorium, & ſatisfactorium* applicatur, ſeu ut meliùs dicam fructus medius Sacrificii, qui eſt impetratorius, propitiatorius, & ſatisfactorius applicatur, de quibus lege, quæ diximus in *Diſſer. 1. cap. 1. §. 3.* & quæ dicemus infra *in diſſ. 9. cap. 1. §. 1. verb. in primis quæ &c.*

Et quidem Sacrificium eſt *propitiatorium*, quatenus cauſat mediate, utpote Sacramentum vivorum, remiſſionem mortalium, & immediate venialium ex opere operato: cujus fructus applicandi praxis eſt ſequens.

PRA-

PRAXIS.

Applicandi fructum medium Propitiatorium.

CLementiſſime Deus, Ego N. Peccatorum omnium ſceleſtiſſimus dilectum Filium Tuum ſemel in Cruce oblatum, ejuſdemque ſanguinis pretium hoſtiam placationis pro meis, totiuſque mundi peccatis ſufficientiſſimam offero, ut mihi, atque omnibus peccatoribus, præcipuè autem N. N. Parentibus, Benefactoribus, Amicis &c. veram contritionem concedere digneris. Ignoſce Domine pœnitentibus, miſerere noſtri, & ne reſpicias iniquitates noſtras, ſed audi ſanguinem Filii Tui clamantem: parce, Domine, parce populo tuo.

Eſt etiam *impetratorium*, quatenus per ipſum juſti, ſeù in gratia exiſtentes gratiæ augmentum impetrant, exiſtentes in peccato gratiam converſionis, infideles illuminationis; hinc etiam pro infidelibus Sacrificium hoc applicari poteſt: corporis etiam impetrant ſanitatem, quæ omnia ex opere operato cauſat: hujuſque fructus applicandi modum ſequens oſtendit Praxis.

PRA-

PRAXIS.

Applicandi fructum impetratorium.

Pliſſime Domine, quia me ineffabili tua providentia pro omnibus legatione apud te fungi voluiſti, pro ſingulorum neceſſitatibus hoc tibi Sacrificium offero. Da omnibus, deprecor, fidem & ardentiſſimum tui amorem: illumina corda Maurorum, Judæorum, Hæreticorum & Infidelium omnium: ſanctifica, quam plantavit Eccleſiam dextera tua, omnes Eccleſiaſticos Ordines reforma, illumina omnes Reges, & Principes ut Eccleſiam venerentur, & defendant. Defende fideles tuos a fame, peſte, bello, anguſtiis, perſecutionibus, & calamitatibus. Adeſto peccatoribus, ut convertantur, Agonizantibus, ut a damnatione liberentur æterna. Da meis inimicis veniam, da amicis, parentibus, & Benefactoribus dona omnia ſpiritualia, & temporalia. Memento animabus, pro quibus orare intendo, quibus locum refrigerii, lucis, ac pacis, ut indulgeas, deprecor. Memento tandem mei, a peccato me libera, deſideria omnia a me terrena amove, & in me ignem tui amoris accende.

Eſt tandem ſatisfactorium, in quantum per hoc Deo ſatisfit pro pœnis temporalibus debitis peccato remiſſo, haſque ex opere operato remittit, & quidem quo ad viventes hæc pœnæ remiſſio eſt infallibilis, quo verò ad defun-

unctos Deo acceptante est etiam infallibilis, sed hæc Theologis perscrutanda omitto: quomodo autem hujusmodi fructus applicatur sequens exhibet Praxis.

PRAXIS.

Applicandi fructum satisfactorium.

PAter clementissime Indignus Ego N. Filii tui D. N. J. C. nomine fructum sacrificii hujus satisfactorium principaliter applico N. N. pro quo, vel qua celebrare intendo: & si fortè illum non indigere, vel incapacem esse contigerit, fructum hunc illi applicare intendo pro quo scis me vel stipendo, vel alia de causa teneri. Respice benignus animas in purgatorio detentas, quæ maximè suffragiis indigent. Memento Parentum Amicorum Benefactorum, & Inimicorum, & præcipuè eorum, qui singularem devotionem in hoc sacramentum, & passionem filii tui habuerunt. (a).

CAPUT SECUNDUM.

De Vestibus Sacerdotum, Missa ordinanda, paramentis, & vasis sacris.

SAcerdos celebraturus præparatione peracta talari habitu indutus, clericalemque tonsuram gerens, missale accipit, Missam, per-

(a) Qui diffusiores praxes discere cupit adeat Eminentissimum Bona in suo *Tract. Asceticò de Miss. cap.* 4. §. 7. 8. 9. 10. & 11.

perquirit, legit, & loca ſignaculis ſignat, ne illi fortaſſe accidat, ut dein in Altari fuerit eidem diutius immorandum cum ſummo circumſtantium tædio, ſuique incommodo; poſtea manus lavat (a) calicem præparet, ac veſtimenta ſumat: de his omnibus, ac de aliis in ſequentibus.

§. PRIMUS.

De Veſtibus Sacerdotum.

HIc non loquimur de veſtibus ſacris, quæ ſcilicet Sacerdoti in Sacrificio inſerviunt, ſed de veſtibus communibus; & quidem de illis, quas concilia ferè omnia, & generalia, & particularia, ſeu Synodi deferendas Sacerdotibus præcipiunt.

Vult igitur Rubrica primo: ut Sacerdos Miſſam celebraturus ſit *calceatus pedibus*, ideſt quod non celebret Miſſam nudis pedibus, licet ſi ſic celebraret, quamvis graviter peccaret, non tamen mortaliter; quia &ſi non ſit conſuetudo ſic celebrandi, tamen tantum id ex

(a) Vetuſtiſſimus eſt uſus manus ante Miſſam abluendi; quippe S. *Chryſoſ. hom.* 20. *de ſimultate ad populum Antiochenum* arguit: Sacerdoti fas non eſſe immunda anima celebrare Miſſam, cum id ipſe illotis manibus facere non auderet: *non audes*, inquit, *ſacram victimam illotis manibus attrectare, etiamſi mille neceſſitatibus premaris.*

ex honeſtate præcipitur: hinc refert Caſſianus quod Patres in monaſteriis ægiptiis degentes; calceos in Miſſa deponunt, illud ad Moyſen cuſtodientes. *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Exod. 3.*

Secundo: quod ſit *talari veſte indutus*, ideſt longa ad talos uſque pertingente; hinc eliminandus foret abuſus nonnullorum Sacriſtarum permittentium, ut multi Miſſam cum veſte vulgò dicta *mezza ſottana* celebrent: quod tamen rarò accidit in Sacriſtiis Cathedralium, & Collegiatarum, quippe indecens eſt Miſſam ità celebrare.

Tertio: quod *Tonſuram habeat* vulgò chierica; cujus vetuſtiſſimam originem oſtendit *Iſidorus de divin. offic. lib. 2. cap. 4.* Canoniſtæ Aniceto tribuunt: quidquid id ſit, non eſt hic mei inſtituti iniquirere tonſuræ originem, & ſignificationem, ſed ſolum Sacerdotibus conſulere, ut quoties barbam radant, meminerint etiam tonſuram renovare.

§. SECUNDUS.

De Miſſa ordinanda.

ADhoc ut Sacerdos celebraturus bene Miſſam ordinare poſſit, ſequentes regulas operæ pretium eſt ut bene noſcat.

1. Generalis eſt, quod ſi voluerit celebrare Miſ-

Miſſam de tempore recurrat ad proprium de tempore, ſi de Sancto ad proprium Sanctorum.

2. Si Miſsa dicenda erit de feria, & hæc non habuerit propriam Miſſam, dicitur Miſſa Dominicæ præcedentis, abſque *Gloria*, & *Credo*. In tempore Paſchali dicitur *Gloria* abſque *Credo*: excepta Miſſa Rogationum, in qua non dicitur *Gloria*.

3. Si Miſſa dicenda erit de Sancto, & hic non habeat propriam Miſſam, recurrat ad Commune SS.

4. In Adventu quoties reaſſumatur miſsa Dominicæ precedentis poſt Gruaduale prætermittitur *Alleluja* cum ſuo verſu.

5. Si Miſſa fuerit votiva vel pro defunctis; vide quæ diximus *Differ.* 2.

6. Miſſa dicitur de Duplici. Semid. vel ſimplici in illis diebus, in quibus in Calendario notatur *Duplex*, *Semiduplex*, vel nihil notatur.

7. Miſſa de feria dicitur quando non occurrit feſtum ad minus Semid. vel octava vel Sabbatum, in quo Sabbato fit de S. Maria in Sabbato, extra adven. & quadrageſimam.

8. *In Vigiliis* & *feriis* 4. *tempotum* & *fer.* 2. *rogat.* infra octav. occurrentibus, Miſſa dicitur de *Vigilia*, vel *feria* cum commemorationem Octavæ.

9. In *Vigilia* infra Octavam Corporis Chriſte, Miſſa fit de octava cum comm. Vigiliæ.

10. Si in die Vigiliæ, fer., vel octavæ fiat officium de aliquo feſto, miſſa erit de feſto cum Com-

Commemoratione Vigiliæ, fer. vel octavæ; Si vero festum fuerit de *majoribus* fit de hoc absque ulla comm.

11. Si festum habens vigiliam celebratur fer. 2. Missa vigiliæ dicitur in Sabbato excepta Vigilia *Nativitatis Domini*, & *Epiphaniæ*, quæ fit etiam in Dominica.

12. In Adventu, in Missa vigiliæ fit comm. fer. Adventus, licet de fer. non fit factum officium, excepta *vigilia Nativitatis Domini*, in qua non fit comm. fer. Adventus.

13. Si occurrat Vigilia in quadragesima, & quatuor temporibus, missa erit de fer. cum comm. Vigil.

14. In tempore Paschali nunquam fit Missa de Vigilia, nisi in Vigilia Ascensionis.

15. In illis diebus in quibus non prohibentur Missæ privatæ votivæ, nec prohibentur Missæ privatæ defunct. sed de his alibi diximus.

§. TERTIUS.

De Paramentis Calicis.

DIximus quod Antequam Sacerdos Calicem præparet, debet manus abluere in loco, ad id in omnibus Sacristiis præparato, & abluendo sequentem dicat orationem.

Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis, & corporis valeam Tibi servire. Amen.

Qua

Qua ablutione peracta manus in linteolo tergat, & ad calicem præparandum accedat: indecens quippe eſt ſacra immundis manibus tangere.

Calix autem debet eſse aureus, vel argenteus & in interiori parte inauratus, etiamsi fuerit auteus, & conſecratus, ut ſtatuitur *in cap. fin. de celeb. Miſſ.*

Hinc eſt quod abſolutè prohibetur calix ex ligno, quia lignum utpote poroſum ſpecies ſacras facile ebibere poterit. Ex lapide [a] vel Vitro, quia ſunt fragiles; ex Aurichalco, & Ære quia facile vino rubiginem contrahunt; *Can. ut calix de conſecr. diſtin.* 1. & ex Stanno. Hoc autem intelligitur de Cuppa, quæ ſcilicet non poteſt eſse ex aliquo ex dictis metallis, non autem de pede, nam hic permittitur; ex Ære vulgo *bronſo*, *Rame*, & ex ſtanno, ſed in maxima neceſſitate etiam permittitur.

Super os Calicis ponit purificatorium, mundum ex lino, vel alia conſimili materia, & quod ſit ob majorem decentiam benedictum, ita enim eſt Eccleſiæ praxis.

Deinde imponit patenam, quæ debet eſse aurea vel argentea & in interiori parte inaurata, & conſecrata ſicut ſupra diximus de Calice, in qua hoſtiam conſecrandam reponat.

Hanc

[a] In Calicibus vitreis conſecrare ordinaverat Sanctus Zepherinus Papa, de quo *D. Hieron. Epiſt. 4. ad Ruſtic circa finę* ait: *nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & ſanguinem portat in vitro.*

Hanc patenam cooperit palla alba, & non coloris paramentorum, (a) quia palla eſt pars corporalis; quippe olim calix in ſacrificio cum extremitatibus corporalis cooperiebatur, deinde ad commoditatem, & ad evitandum periculum effuſionis ſanguinis introducta eſt hæc palla: de qua lege *Magium*, *Quarti*, & alios; & ideo debet eſſe linea ſicut corporale.

Poſtea cooperit calicem velo ſerico oblongo coloris paramentorum, licet antiquitùs velum hoc fuerit lineum.

Super velo ponit burſam coloris paramentorum habentem intus corporale plicatum; quod, corporale ideo vocatur, quia ſuper illud Corpus Chriſti colligitur.

Tandem ſuper burſam nihil ponat; caveat ergo Sacerdos ne ponat ſuper calicem, vel parvum ſudarium ad digitos abſtergendos, vel perſpicilla, multo minus pileolum, vulgo *berettino*, o *cuppolino*, vel manutergium, vel alia, de quibus leguntur *AA*.

§. QUARTUS.

De Pileolo, & Annulo.

MUltis ex Summi Pontificis diſpenſatione conceditur Miſſam cum Pileolo celebrare; verum nullus abſque dicti Pontificis

(a) Prius enim corporali tegebatur calix, ut adhuc Carthuſiani obſervant, ſed nos utimur palla ex ordinat. *Inn. Pap. III. in lib. 2. de myſt. Miſſ. cap. 56.*

diſpenſatione celebrare poterit; hinc eſt quod Epiſcopus in nullo caſu poterit diſpenſare; & diſpenſatus per Pontificem, illo uti tantum poteſt in Miſſa ſive privata ſive ſolemni uſque ad præfationem, & peracta utriuſque ſpeciei ſumptione illum reaſſumat.

Annulus cum gemma permittitur in Miſſa ſolis Epiſcopis (*b*), & Abbatibus uſum Pontificalium habentibus: negatur autem Prothonotariis non participantibus, & quibuſcumque Doctoribus, negatur etiam Canonicis, & dignitatibus Cathedralium, vel Collegiatarum: tamen permittitur Canonicis, & dignitatibus poſſe in ſacrificio aureum annulum, abſque gemma deferre.

Quapropter nullus Sacerdos privatus annulum in ſacrificio neque abſque gemma gerere poteſt. *Vide Diſſer. 3. cap. 1. §. 4.*

§. QUINTUS.

De veſtibus ſacris.

PArato Calice, factaque priùs reverentia Cruci, ſeù ejus imagini in Sacriſtia exiſtenti, ſumit ambabus manibus *amictum*, quem priùs in medio oſculatur, ubi Crux aſſuta erit, illumque ſuper caput ponit, & mox declinando-

(*b*) Epiſcopus annulum portat, ut ſe ſponſum *Eccleſiæ cognoſcat &c. . . . Optat Milevit lib. 1. contra Parmen & Gemin.*

do ſuper humeros collo aptat collaria circumtegendo; ducit ſub brachiis cordulas, & circumducens per deorſum, ante pectus reducit & ligat dicens: *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos diabolicos incurſus.*

Deinde accipit *albam*, & illa, caput ſubmittendo, induitur: dextram manicam prius dextro, ſiniſtram dein ſiniſtro brachio aptat dicens: *Dealba me Domine & munda cor meum, ut in ſanguine agni dealbatus, gaudiis perfruar ſempiternis.*

Mox *cingulo* ſibi a Miniſtro porrecto, ſe circa lumbos cingit, albam corpori adaptat, elevando ante, & a lateribus hinc inde, ut honeſtè dependeat, & veſtes tegat, ut ad digiti latitudinem ſuper terram æqualiter fluat, & dicit: (a) *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ & caſtitatis.*

Poſt cingulum accipit *manipulum*, cujus Crucem in medio poſitam oſculatus, brachio ſiniſtro aptat ſupra cubitum, & non infra, ne impedimento ſit Sacerdoti, neque periculum aderit tangendi hoſtiam, ità *Lohner apud Doctiſs. Merati in ſuis not. & obſer.* dicens: *Me-*

(a) Cingulum non circa pectus, ſed renes circumducendum; quippe Steph. Eduenſis Epiſcopus apud Benedict. XIV. in *ſect. 1. de Sacrif. Miſſ. num. 42.* ait: *cingulum, quod albam circumcingendo, renibus aptatur.*

rear Domine portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Dein ſumit ambabus manibus *ſtolam*, illamque in medio, ubi Crux eſt poſita, oſculando; imponit medium ejus collo, eamque in Crucis modum ante pectus tranſverſando ducit partem a ſiniſtro humero pendentem ad dextrum, & a dextro ad ſiniſtrum; & utramque ſtolæ extremitatem cinguli extremitatibus hinc inde cingit; & dicat; *Redde mihi Domine ſtolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi Parentis, ut quamvis indignus accedo ad tuum ſacrum Miſterium, merear tamen gaudium ſempiternum (a).*

Tandem planetam accipit dicens: *Domine, qui dixiſti jugum meum ſuave eſt, & onus meam leve; fac ut iſtud portare ſic valeam, quod conſequar tuam gratiam Amen.*

DISSERTATIO VII.

De Cæremoniis in tota Miſſa ſervandis.

DE his ſauè diffuſe Miſſalis Rubrica tractat; hæc ſiquidem Cæremonias omnes ab initio ad uſque Miſſæ finem ſervandas præſcri-

(a) Sacerdos ſtolam ita ponat ut e collo pendeat, & Crucem collo aptet, non aliter; eſt enim contra Rubricæ præſcriptum illam e poſteriori parte pendentem gerere.

ſcribit: Verùm quia non ità facilè Sacerdotum quiſquis hanc præ manibus habere poſſit, non eſſe ſupertluum duxi, Regulas priùs generales aliquas præſcribere, dein dictas Cæremonias explicare.

CAPUT PRIMUM.

Proponuntur aliquæ Regulæ Generales pro Cæremoniis peragendis.

NE in ſequenti *Differt.* mihi pluries repetendus fuerit modus nonnullas Cæremonias, peragendi, in ſequenti unico §. nonnullas generales Regulas proponam.

§. UNICUS.

Regulæ Generales Cæremoniarum in Miſſa peragendarum.

PRima *eſt*. Si Sacerdos paratus alteri per viam ſimiliter parato occurrat, reverenter illum ſalutet inclinando caput, non tamen caput diſcooperiat.

Secunda eſt. Quoties in Miſſa manus ſunt jungendæ palmam dextræ, palmæ ſiniſtræ aptat, dextro pollice ſuper ſiniſtro poſito in modum Crucis.

Tertia eſt: quoties ſe ſignat Sacerdos, manum ſiniſtram infra pectus teneat, infra quam

dextra non descendat in signando ; & non palmæ , sed digiti dexræ pectus tangant .

Quarta est . Sacerdos altare osculaturus , priùs extensas manus super altare hinc inde ponat junctis digitis , illudque osculatur : post consecrationem verò pollicem ab indice non disjungat .

Quinta est . Sacerdos dicturus *Dominus vobiscum* vel alio modo salutaturus , osculato altari , manibus ante pectus junctis , vertit se a cornu Epistolæ versus populum , & oculis ad terram demissis , manus prius extendens ac jungens dein ante pectus , populum salutat .

Sexta . In extensione , & elevatione manuum id semper servetur,ut elevatio manuum humeros non excedat .

Septima . Si Sacerdos celebret facie versa ad populum , hunc salutando non vertitur .

Octava . Sacerdos orationem lecturus dicto *Oremus* extendit manus ante pectus , ità ut uniùs palma alteram respiciat , digitis simul junctis .

Nona . Quoties Sacerdos in Epistola , vel Evangelio genuflectere debuerit , genuflexio facienda erit versus librum .

Decima Ad: *Munda*, *Agnus*,& *Sanctus* Sacerdos manibus junctis , digitos super altare ponat , ità ut parvi digiti altaris frontem tangere videantur , residuo manuum inter altare & se retento,ut tamen altare non tangant:hinc est illud: *M A S. non tangit* .

Unde-

Undecima eſt. Sacerdos aliquid benedicturus palmam manus ſiniſtræ ſemper habeat poſitam ſuper altare, vel corporale, vel ſuper rem, quam dextra ſignat.

Duodecima. Quoties Sacerdos genuflectit manus hinc inde extenſas ſuper altare ante conſecrationem ponat, & ſuper corporale poſt, ut ſeipſum ad altare ſuſtineat.

Decimatertia. In Miſſa defunctorum aqua non benedicitur, nec populus.

Decimaquarta. Quoties Sacerdos calicem diſcooperit, ne caſu cadere poſſit, ſiniſtræ digitos junctos ſuper pedem calicis teneat, & dextra diſcooperit, & cooperit.

Decimaquinta Sacerdos aliquid benedicturus, primo manus elevat, dein illas expandit, poſtea ante pectus jungit: & tandem manu ſiniſtra ſuper altare, vel corporale poſitâ; dextra benedicit.

Decimaſexta Poſt conſecrationem uſque ad ablutionem, quoties manus jungere debuerit Sacerdos; pollicem ab indice numquam diſjungat, niſi hoſtiam tangere debeat.

Decimaſeptima. Poſt conſecrationem inclinatio non fit Cruci, ſed Sacramento ſuper altare exiſtenti.

Decimaoctava. Sacerdos ſigna ſuper oblata facturus, manum ſiniſtram ſuper altare ante, & ſuper corporale poſt conſecrationem ponit, & manu dextra ſignat.

Decimanona. Quoties Sacerdos manu dex-

tra allquid facit, manum ſiniſtram otioſam non teneat, ſed illam ſuper altare ponat, vel pectori admoveat.

Vigeſima. Quoties Sacerdos tacturus erit Sacramentum, & poſtquam tetigerit, genuflectat.

Vigeſimaprima. Crux, quæ fit ſive patena, ſive calice, ſive manu; non eſt facienda per puncta, ſed per lineas.

Vigeſimaſecunda. Coram expoſito Sacerdos in acceſſu, & receſſu genuflectit; ad Dominus vobiſcum dat renes cornu Evangelii, & non altari, & ad *orate fratres* non perficit circulum, ſed ſe gerit ſicut ad *Dominus vobiſcum*: & populum benedicturus non ſe vertit, nec ſignat altare in Evangelio finali, ſed tantum ſe ipſum.

Vigeſimatertia. Sacerdos coram expoſito *ad lavabo* propter reverentiam deſcendit in plano altaris in cornu Epiſtolæ, ita ut ejus facies populum reſpiciat.

CAPUT SECUNDUM.

De Cæremoniis in Miſſa ſervandis.

PRæmiſſis Regulis Generalibus, præxim modo ſervandarum aliarum cæremoniarum, quas ab egreſſu a Sacriſtia ad uſque ejus ingreſſum ſervare quilibet Sacerdos debeat; proponam.

§. PRI-

§. PRIMUS.

De egreſſu Sacerdotis e Sacriſtia ejuſdemque acceſſu ad Altare.

SAcerdos, ut ſupra indutus cum bireto in capite calicem manu ſiniſtra per nodum accipit, & burſam ſuper calicem poſitam manu dextra ſuperpoſita tenens, calicem ante pectus elevatum portat, & facta priùs reverentia Cruci in Sacriſtia, demiſſis oculis, inceſſu gravi, erectoque corpore incedit. (*a*)

Si, dum ad altare pergat, ille ante altare majus tranſiverit, tunc faciet ad illud reverentiam capite tecto. Si ante altare Sacramenti, genuflectat capite etiam tecto. Si ante altare poſt conſecrationem, genuflectat, illudque capite detecto adoret. Si dum Sacerdos elevat, genuflectat, & capite detecto adoret, nec ſurgat niſi poſtquam calicem ſuper corporale poſuerit.

Cum ad altare pervenerit, ſtans ante infimum illius gradum, caput detegit, biretum Miniſtro tradit, facitque profundam reverentiam

(*a*) Sacerdos ad Altare pergens nihil dicat: hinc indiſcreta eſt aliquorum devotio addere Miſſæ novas preces etiam ad devotionem excitandam, eſtque peccatum veniale: in bulla enim *Pii V.* quæ Miſſalibus anteponitur habetur: *neque in Miſſæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ hoc Miſſali continentur, addere, vel recitare præſumat.* Sacerdos.

rentiam Cruci, vel genuflexionem, ſi fuerit Altare Sacramenti, aſcendit altare, ſiſtit calicem in cornu Evangelii, extrahit corporale de burſa, ſuper quo calicem velo coopertum collocat, burſam vero in cornu Evangelii ponit; dein accedit ad cornu Epiſtolæ, miſſamque reperit, poſtea ad medium altaris rediens, facta prius reverentia Cruci; vertens ſe a cornu Epiſtolæ, deſcendit ad infimum gradum Altaris, ut Miſſam incipiat.

§. SECUNDUS.

De Principio Miſſæ uſque ad Introitum.

SAcerdos in medio ante infimum gradum Altaris ſtans manibus ante pectus junctis, extenſis & junctis pariter digitis, dextro pollice ſuper ſiniſtro in modum Crucis poſito, facta priùs reverentia profunda Cruci Altaris, vel genuflectione, ſi fuerit altare Sacramenti; ſiniſtra poſita infra pectus digitis ſimul junctis, dextra ſignat ſeſigno Crucis ducens illam a fronte ad pectus ſupra manum ſiniſtram, & non infra, dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & ad verbum *Amen*, manus ante pectus jungit, ut ſuprà, & ſequitur Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei.*

Deinde alternatim cum Miniſtro dicit Pſalmum: *Judica me Deus*, quo finito cum ſuo *Gloria Patri*, repetit Antiphonam: *Introibo.*

Hic

Hic Pſalmus *Judica me Deus* omittitur in Miſſis de tempore a Dominica Paſſionis uſque ad Sabbatum Sanctum excluſive, & in Miſſis defunctorum, ut infrà dicemus.

Terminata Antiphona, dicit Sacerdos: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini* ſignando ſe ut ſuprà: deinde manibus, ut ſuprà, junctis profundè inclinatus facit confeſſionem, in qua ad verba: *vobis fratres, & vos fratres* Miniſtro reverentiam non facit, & ad verba *mea culpa &c.* ter ſibi pectus percutit dextrà collectis digitis, ſiniſtrà infrà pectus poſita: qua confeſſione peracta non ſe erigat, uſque dum Miniſtro ad *miſereatur tui* reſpondeat: *Amen*.

Facta a Miniſtro confeſſione Sacerdos proſequitur *miſereatur veſtri &c.* deinde *indulgentiam*, ad quæ verba ſignat ſe ut ſuprà, mox inclinatus media ſcilicet inclinatione dicat verſus: *Deus tu converſus &c. Oſtende &c. Domine &c. Dominus &c.* & cum dicit: *Oremus* extendit, jurgitque manus, ac erigens ſe, aſcendit altare dicens: *Auſer a nobis &c.*

Cum Sacerdos ad medium Altaris pervevenerit, ibi inclinatus manibus, ut ſupra junctis, itá ut verò parvi digiti Altaris frontem reſpiciant & tangant, reſiduo manuum inter Altare & ſe retento; dicat orationem: *Oramus te Domine;* in qua oratione ad verba: *quorum reliquiæ hìc ſunt*, oſculatur Altare in medio, ubi reconditæ ſunt Sanctorum reliquiæ, & erigendo ſe abſque ulla reverentia, pergit ad cornu Epiſtolæ, ut Introitum incipiat. ℣. TER-

§. TERTIUS.

De Introitu uſque ad Credo.

CUm Sacerdos ad cornu Epiſtolæ perrexerit Introitum incipiat, adque prima Introitus verba ſignat ſe, ut ſupra; deinde illum proſequitur manibus junctis, in fine cujus legat verſiculum ex Pſalmis deſumptum, & dein *Gloria Patri &c.* faciendo inclinationem infimam Cruci; introitum repetit, ſed non ſe ſignat.

In Miſſis defunctorum ſe non ſignat, ſed manu ſiniſtra ſuper libro poſita, cum dextera in aere ſignum Crucis facit.

Pſalmorum verſiculi in omnibus Miſſis dicuntur.

Si in introitu occurrerit nomen *Jeſus*, *vel Mariæ*, vel ſancti alicujus, cujus feſtum peragitur, non faciat reverentiam Cruci, vel libro niſi cum repeterit introitum: & quidem ad nomen *Jeſus* facit reverentiam Cruci; ad alia, libro.

Verſus *Gloria Patri* non dicur in Miſſis, in quibus omittitur Pſalmus *Judica me Deus*, ſed dicto Pſalmi verſiculo, replicatur introitus.

Finito introitu Sacerdos manibus ante pectus junctis accedit ad medium altaris, ubi verſus illud dicit novies alternatim cum Miniſtro: *Kirie*, *& Chriſte eleiſon*.

Si

Si dicendum erit *Gloria in excelſis* Sacerdos dicto ultimo *Kirie eleiſon* manus extendens, & uſque ad humeros elevans dicit alta voce: *Gloria in excelſis Deo*: cum dicit *Deo*, manus jungit, & caput Cruci inclinat, & dictum hymnum Angelicum manibus ſic junctis uſque ad finem proſequitur.

Ad quæ verba debeat inclinare caput vide a nobis ſupradicta: *De inclinationibus Diſſ. 4. cap. 3.* cumautem venerit ad illa verba: *cum Sancto Spiritu*, ſeipſum ſignat a fronte ad pectus interim perſolvens: *in gloria Dei Patris Amen*: hic jungit manus. Quando autem dicendus eſt hymnus Angelicus, infra videmus: quo terminato, vel ſi non erit dicendus, finito ultimo *Kirie eleiſon*, celebrans oſculatus altare in medio, manibus hinc inde ſuper altare extenſis, & iterum ante pectus junctis, vertit ſe a cornu Epiſtolæ verſus populum oculis ad terram demiſſis, manus extendit, & iterum jungit ante pectus, dicens: *Dominus vobiſcum*, (a) dein per eandem viam ad cornu Epiſtolæ revertitur, ubi manus extendens ac jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans dicit; *Oremus*, & orationem incipit.

(a) Hæc ſalutatio *Dominus vobiſcum ex lib. Ruth. cap. 2.* deſumpta eſt, ibi: *dixitque Meſſoribus Dominus vobiſcum*: & reſponſio: *& cum ſpiritu tuo* ex verbis *D. Pauli ad Gal. 6. Gratia Domini veſtri Jeſu Chriſti cum Spiritu veſtro Fratres Amen.*

§. QUAR-

§. QUARTUS.

De orationibus uſque ad Evangelium.

Dicto per celebrantem *Oremus*, Sacerdos extendens manus ante pectus, ità ut uniùs palma alteram reſpiciat digitis ſimul junctis, quorum ſummitas altitudinem & diſtantiam humerorum non excedat: orationem dicit.

Cum autem venerit ad verba orationis: *Per Dominum noſtrum* vel ſi aliter concludatur oratio: *qui tecum vivit &c.* vel *qui vivis & regnas*: ad verba illa in *unitate* jungit manus, atque ſic junctas uſque ad finem tenet. Quando autem una vel plures dicendæ ſunt orationes, infra videbimus *Diſſert. 5. cap. 5. §. 5.*

In feriis quatuor temporum, & aliis diebus, quando dicendæ ſunt plures cum Prophetiis orationes, Sacerdos dicto ultimo *Kirie eleiſon* in medio, non dicit *Dominus vobiſcum*, ſed revertitur ad cornu Epiſtolæ, ubi extenſis, & junctis ante pectus manibus crucique inclinans, dicit: *Flectamus genua*, & interim manibus ſuper altare hinc inde extenſis genuflectit; (a) & Miniſtro reſpondente *leva-*

(a) In Miſſa Sabbati Sancti, & quatuor temporum poſt ultimam lectionem non dicitur *flectamus genua* ad denotandam repugnantem conſtantiam trium puerorum in adoratione ſtatuæ, quorum fit mentio in dicta lectione. *Mat. Hierol. verb. genuflexio.*

levate, illico ſurgit, manibuſque extenſis orationem proſequitur, ut ſupra diximus de oratione.

Finita oratione legat Prophetiam manus tenens ſuper librum, vel altare poſitas, & ultima terminata redit in medium altaris manibus ante pectus junctis, ubi vel dicat hymnum Angelicum, ſi erit dicendus, vel *Dominus vobiſcum*. His peractis redit ad cornu Epiſtolæ, ut ſupra, ut orationes dicat.

Dictis orationibus celebrans poſitis ſuper altare, & librum manibus, ità ut ſoli pollices tangant librum in parte ſuperiori, & alii digiti librum in parte inferiori, ſeu altare; legit Epiſtolam.

Terminata Epiſtola eodem modo ſtans proſequitur *Graduale*, *Alleluja*, *Tractum*, *Sequenti*. pro temporis opportunitate, ut infra; his lectis redit ad medium altaris, ibique ſtans manibus ante pectus junctis, oculis ad cœlum levatis, & mox demiſſis profunde inclinatus modo, quo ad *Aufer* diximus, dicat: *munda cor meum*: Advertat autem ne digiti altare tangant: vide *Regulam Generalem X.*

His dictis redit ad librum jam in cornu Evangelii per Miniſtrum præparatum, ubi ſtans manibus junctis dicat intelligibili voce: *Dominus vobiſcum*, & Miniſtro reſpondente, & *cum ſpiritu tuo*; proſequitur: *ſequentia S. Evangelii ſecundum N.* quæ verba, dum dicit, primò ſignat librum, deinde ſeipſum in fron-

fronte, in ore & pectore (*b*) & junctis iterum manibus clara voce legit Evangelium.

Dum legit Evangelium ad nomen *Jesus* vel *Mariæ*, vel alicujus ſancti, cujus fit feſtum, inclinationem faciat libro; ſic &ſi occurrat Sacerdotem genuflectere, verſus librum genuflectat. Evangelio finito, celebrans elevato parumper libro, Evangelii principium oſculatur dicens: *Per Evangelica dicta*: (quod oſculum omittitur in Miſſis defunctorum).

§. QUINTUS.

De Symbolo, offertorio, & aliis uſque ad Canonem.

OSculato libro Sacerdos redit ad medium altaris, &ſi dicendum erit Symbolum, elevans, & extendens manus incipit: *Credo in unum*, ad *Deum*, jungit manus, & caput Cruci inclinat: quo erecto, manibus, ut ſupra, ante pectus junctis, proſequitur Symbolum.

Ad verbum: *Jeſum Chriſtum*, & *adoratur* caput inclinat, ad verba: & *Incarnatus eſt* uſque *ad homo factus eſt*, genuflectit; & ad verba tandem: & *vitam venturi ſæculi*, ſignat ſe modo.

(*b*) *Signare ſe debet Sacerdos in fronte, in ore, in pectore; ac ſi dicat: ego Crucem Chriſti non erubeſco, ſed Credo, quod ore profiteo. Innoc. lib. 2. de Myſter. Miſſ. cap. 43.*

modo quo ſupra, jungitque manus & dicat; *Dominus vobiſcum*.

Finito Symbolo, vel Evangelio, ſi non erit dicendum Symbolum, vertit ſe ad populum ut ſupra, & dicat; *Dominus vobiſcum*, & dein per eandem viam ad medium altaris revertitur, & dicat *oremus*, tum junctis, ut priùs manibus, legit offertorium.

Dicto offertorio, diſcooperit calicem, velumque plicandum tradit Miniſtro illudque extra corporale reponat; deinde ſiſtit calicem in cornu Epiſtolæ, & ſiniſtra poſita ſuper altare, dextra amovet parvam pallam deſuper hoſtia, patenam cum hoſtia accipit, illamque ambabus manibus uſque ad pectus elevatam tenens, oculis ad Crucem elevatis, ibique intentis dicit: *ſuſcipe Sancte Pater*, qua finita facit ſignum Crucis ſuper corporale cum patena & deponit hoſtiam circa medium anterioris partis ante ſe, & patenam ad manum dextram aliquantulum ſub corporale ponit, ita ut aliqua pars illius extra corporale remaneat.

Deinde facta reverentia Cruci, junctis manibus pergit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſiniſtra accipit per nodum Calicem, quem dextra purificatorio tergit, deinde purificatorium eadem ſiniſtra ſuper nodum Calicis aptatum tenens, calicem parumper inclinat, & dextra ſumens vini ampullam, ponit vinum in Calicem: tandem facto ſigno Crucis ſuper aquæ ampulla

incipit: *Deus qui humanæ*, & dum aquam in calice infundit prosequitur: *Da nobis per hujus &c.*

Interim usque dum orationem terminet dextra os calicis purificatorio tergat, ne gutta aliqua vini, vel aquæ ori calicis inhæreat; purificatorium plicat, & partem patenæ corporali non suppositam cooperit, & ad verba *in unitate spiritus &c.* jungit manus, terminataque oratione, manibus sic junctis ad medium Altaris redit.

Sacerdos in medio Altaris existens facta prius in accessu reverentia Cruci, sinistra posita super Altare extra corporale, manu dextra accipit calicem discoopertum, illumque ambabus manibus dein; scil'cet sinistra pedem, & dextra nodum infra cuppam, elevatum tenens, oculis in Cruce intentis dicit: *Offerimus tibi &c.*

Finita oratione facit signum Crucis cum calice super corporale, illumque in medio post hostiam collocat in tanta distantia, ut inter illam & hostiam, alia hostia stare possit, illumque modo quo supra cooperit; deinde junctis manibus & super Altare positis, inclinatione media inclinatus dicit: *In spiritu &c.*

Dicto *in spiritu* erectus oculos elevans, manusque expandens, & statim illas ante pectus jungens dicit: *Veni sanctificator*: Et cum dicit: *Benedic hoc ✠ sacrificium* benedicit simul

mul hoſtiam & calicem, ſtatimque jungens manus, & facta reverentia Cruci ad verbum *ſancto nomini*, accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi extremitates pollicum, & indicum lavans, dicit Pſalmum: *Lavabo &c.* in fine cujus dicitur *Gloria Patri* exceptis Miſſis defunctorum, & tempore Paſſionis in Miſſis de tempore.

Interim Sacerdos dum legit Pſalmum *Lavabo* manus lotas ſudariolo tergit, & facta reverentia Cruci ad verſiculum *Gloria Patri* [ſi erit dicendus] ad medium Altaris revertitur, ubi ſtans, oculos ad cœlum elevans, & ſtatim demittens, manibus junctis ſuper Altare, aliquantulum inclinatus dicit orationem: *Suſcipe Sancta Trinitas.*

Terminata oratione Sacerdos manibus hinc inde extenſis, & ſuper Altare poſitis illud in medio oſculatur, ut ad *Dominus vobiſcum*, jungenſque manus vertit ſe a cornu Epiſtolæ, & verſus populum extendens, ac jungens manus clara voce dicit: *Orate Fratres*, & perficiendo circulum (excipe ſi coram expoſito Miſſam celebret; vide *Regul. generalem* 22.) ad cornu Evangelii dicat: *Ut meum ac veſtrum &c.* uſque ad *Amen*.

Deinde ſtans in medio Altaris manibus ante pectus extenſis, ut diximus ad orationem, dicit abſolute ſine *Oremus* orationes ſecretas, & cum dicit: *Per Dominum noſtrum &c.* manus jungit, caputque Cruci inclinat.

Cum autem venerit ad concluſionem ultimæ ſecretæ, antequam illa verba proferat: *Per Dominum noſtrum &c.* manus ſuper Altare hinc inde extendit extra corporale, & dicit: *Per Dominum &c.* cum dicit: *Surſum corda*, elevat manus extenſas ad pectus, ita ut palma dextra ſiniſtram reſpiciat: Cum tandem dicit: *Gratias agamus*, ad verba *Deo noſtro*, oculos elevat, manus jungit, Crucique inclinat.

Reſponſo per Miniſtrum: *Dignum, & juſtum eſt*; extenſis, ut priùs, manibus, præfationem proſequitur. Cum dicit: *Sanctus, Sanctus &c.* manus ante pectus jungit, & inclinatus, ita ut tamen digiti Altare non tangant, voce media proſequitur. Cum dicit: *Benedictus* erigit ſe, ſeque ſignet ut ſuprà.

§. SEXTUS.

De Canone Miſſæ uſque ad Conſecrationem.

Finita Præfatione, Sacerdos aliquantulum elevat manus, oculis ad Crucem elevatis, ſtatimque demiſſis, manibus junctis, & ſuper Altare, ut ad *Aufer* poſitis, profundè inclinatus incipit ſecretò Canonem: *Te igitur.*

Cum venerit ad illa verba: *uti accepta habeas, & benedicas*, oſculatur Altare, deinde erigit ſe, & ſtans manibus junctis ante pectus

pectus prosequitur. Cum dicit: *Hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ✠ sancta sacrificia illibata &c.* manu siniſtra ſuper Altare poſita, dextra ſignat ter communiter ſuper hoſtiam & calicem; extenſis dein manibus ante pectus proſequitur.

Ad verba *Papa Noſtro.* exprimitur nomen Papæ, & Sacerdos caput libro inclinat, quæ verba Sede vacante omittuntur.

Ad verba: *Pro Antiſtite Noſtro.* profertur nomen Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Ordinarii illius loci, in quo Miſſa celebratur, & non alterius (a): quod ſi ordinariis fuerit vita functus, omittuntur: & ad nomen Antiſtitis non inclinat.

Cum dicit: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum*, elevat & jungit manus, manibuſque ſic junctis, ſtat pauliſper in quiete inclinato aliquantulum capite, orat pro quo orare intendit.

Hic Sacerdos renovat intentionem conſecrandi, ſacrificii oblationem & fructus applicationem, pro ut diximus *in §. 2. 3. 4. Cap. 2. Diſſert. 4.* non eſt neceſſe ut illorum nomina exprimat, ſed ſufficit quod illorum memoriam habeat.

(a) Ordinis cuiuſque Generalis non poteſt nominari a Regularibus ſui Ordinis. Romæ celebrantes hæc verba omittunt, nam Romæ Ordinarius eſt SS. Pontifex. *Bellar. lib. 2. de Miſſ. cap. 21.*

Facta commemoratione vivorum, extenſis ut ſupra manibus, proſequitur: cum dicit: *Jeſu Chriſti* caput Cruci inclinat, dicenſque *Per Dominum Noſtrum &c.* manus jungit.

Cum autem incœperit: *Hanc igitur* manus junctas expandit ſuper oblata, ita ut utraque palma calicem, & hoſtiam reſpiciant, quas ſic tenet uſque ad illa verba: *Per Dominum Noſtrum*, dein manus expanſas iterum jungit, & proſequitur: *Quam oblationem.* Cum dicit: *Bene ✠ dictam Adſcrip ✠ tam ratam ✠ rationabilemque facere digneris*: ter ſignat communiter ſuper oblata: deinde ſemel ſuper hoſtiam dicens: *Cor✠pus*, & ſemel ſuper calicem dicens: *San✠guis*, & elevans, ac jungens manus ante pectus proſequitur: *fiat Dilectiſſimi &c.* & exterſis, ſi opus fuerit, pollice & indice utriuſque manus ſuper corporale, proſequitur: *Qui pridie, quam pateretur.*

Dixi: *exterſis ſi opus fuerit*, quippe ſi digitos humidos habuerit, ne fortè hoſtia digitis adhæreat, vel alia de cauſa, & non pro libito Sacerdos illos extergere debet.

Cum dicit: *Accepit panem &c.* accipit pollice & indice dextræ hoſtiam, illamque indice & pollice ſiniſtræ tenens, erectus, oculos ad cœlum elevat, ſtatim demittens dicit: *Et elevatis oculis &c.* ad verba: *Tibi gratias agens* Cruci caput inclinat; deinde tenens illam

lam ſiniſtra, manu dextra benedicit, dicens: *Bene✠dixit*, & iterum illam pollice & indice dextræ accipit, reliquis manuum digitis extenſis, & ſimul junctis, illamque ſic tenens parumper inclinatus, cubitis, omni qua decet reverentia, ſuper Altare poſitis, diſtinctè & ſecretò verba conſecrationis profert: *Hoc eſt enim Corpus meum*.

Prolatis verbis conſecrationis Sacerdos genuflectens Sacramentum adorat, ita ut manus corporale non exeant; tunc ſe erigens hoſtiam modeſtè, nec nimis lentè, nec feſtinanter elevat ad altitudinem, qua videri poſſit, & adorari ab omnibus, oculis ſemper in eam intentis: deinde manu dextra hoſtiam ſuper corporale ponens, illam genuflexus iterum adorat.

Adorato Sacramento celebrans ſurgit, & calicem diſcoperiendo, in illo, ſi opus ſit, digitos extergat; Calicem ambabus manibus ſumens, dicit: *Simili modo &c.* cum dicit: *Accipiens & hunc* elevat calicem, ſtatimque illum ſuper Altare deponit; ad verba: *Item tibi gratias &c.* caput Sacramento in Altari exiſtenti inclinat; & cum dicit: *Benedi✠xit* calicem ut ſupra benedicit, illum ſiniſtra juxta nodum infra cuppam tenendo: dein proſequitur. *Deditque &c.* & interim cubitis ſuper Altare poſitis, ſicut ad conſecrationem hoſtiæ, ſiniſtra pedem calicis tenens, & dextra nodum infra cuppam, profert at-

tentè, continuatè, & ſecretè verba conſecrationis. *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei &c.*

Qua finita, poſito ſuper corporale calice, dicit: *Hæc quotieſcumque feceritis &c.* genuflectit, adorat, ſurgit, accipit calicem modo, quo illum tenebat, elevat, mox reverenter deponit, palla cooperit, iterumque adorat.

§. SEPTIMUS.

De Conſecratione uſque ad orationem Dominicam.

POſtquam Sacerdos calicem repoſuerit & adoraverit, ſtans ante Altare, manibus ante pectus extenſis proſequitur: *ande & memores;* ad verba: *de tais donis, ac datis* jungit manus, & ad verba: *Hoſtiam † puram, hoſtiam † ſanctam, hoſtiam † immaculatam* ſignat ter communiter ſuper hoſtiam, & calicem, & ad *panem † ſanctum* ſignat ſemel ſuper hoſtiam, & *calicem † ſalutis perpetuæ*, ſemel ſuper calicem; deinde ſtans manibus, ut ſupra extenſis proſequitur: *Supra quæ &c.*

Cum dicit: *Supplices te rogamus* inclinat ſe ante medium Altaris, manibus junctis ſuper Altare poſitis, cum dicit: *Sacroſanctum filii tui* jungit manus: ad verba: *Cor†pus*, & *Sangui†nem* ſignat ſemel ſuper hoſtia, & ſemel ſuper calice; & dicens: *Omni benedictione*

ne † cæleſti ſignat ſe a fronte ad pectus ſigno Crucis, ut ſupra, & proſequitur: *Et gratia repleamur*, quas deinde jungit ad verba: *Per Chriſtum &c.*

Ad *Memento Domine &c.* Sacerdos, ut ſupra extenſis, & junctis ante pectus manibus oculis ad Sacramentum in Altari exiſtens intentis defunctorum commemorationem faciat. Hic pro illis aliquantulum orat Sacerdos defunctis, pro quibus orare intendit. Qua finita oratione ſequitur extenſis manibus: *Ipſis Domine &c.* & jungens manus, caput ad verba: *Per Chriſtum Dominum Noſtrum* ipſe inclinat.

Mox ſiniſtra, ſuper corporale poſita, manu dextra ſibi pectus percutit dicens clara voce: *Nobis quoque peccatoribus*, & extenſis ut prius manibus proſequitur: *Famulis tuis*. Ad verba: *Per Chriſtum &c.* jungit manus, ſicque junctas tenet dum dicit: *Per quem hæc Domine ſemper bona creas*. Deinde ter benedicit communiter ſuper oblata dicens: *Sanc†tifi†cas, vivi†fi†cas benedi†cis, & præſtas nobis.*

Poſtea diſcooperit dextra calicem, & genuflexus Sacramentum adorat, tum ſe erigens reverenter accipit hoſtiam inter pollicem & indicem dextræ, & ſiniſtra tenet calicem per nodum infra cuppam, & ter ſignat cum hoſtia a labio ad labium dicens: *Per † ipſum, & cum † ipſo, & in † ipſo* ita tamen ut, ho-

hoſtia labia calicis non excedat, deinde bis ſignat cum eadem hoſtia inter calicem, & pectus, incipiendo a labio calicis dicens: *Eſt tibi Deo Patri † omnipotenti in unitate † Spiritus Sancti*: tandem tenens manu dextra hoſtiam ſuper os calicis, ſiniſtra elevat aliquantulum calicem cum hoſtia dicens: *Omnis honor, & gloria.*

His dictis ſtatim ſiniſtra calicem ſuper corporale deponit, hoſtiamque manu dextra ſuo loco collocat, extergat, ſi opus fuerit digitos, calicem cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat.

§. OCTAVUS.

De oratione Dominica uſque ad Poſtcom. excluſivè.

COoperto calice, & adorato Sacramento, celebrans ſe erigit, & manibus hinc inde ſuper Altare infra corporale poſitis, dicit clara voce concluſionem: *Per omnia ſæcula &c.* ad *Oremus* manus jungit, caput Sacramento inclinat, oculiſque ad Sacramentum intentis proſequitur: *Præceptis ſalutaribus* uſque ad *Pater Noſter*; quo incœpto manibus extenſis orationem Dominicam proſequitur.

Reſponſo a miniſtro, *ſed libera nos a malo*, & dicto a celebrante *Amen*, Sacerdos indice, & pollice dextræ non disjunctis patenam pu-

purificatorio aliquantiſper aliis dextræ manus digitis extergit, quam tenens ſuper Altare, juxta corporale erectam inter indicem, & medium, ſiniſtra ſuper corporale poſita; dicit: *Amen*: *libera nos &c.*

Antequam celebrans dicat: *Da propitius pacem*, elevat patenam, ſignat ſe cum illa, manu ſiniſtra infra pectus poſita, dicens: *Da propitius † pacem in diebus noſtris*, & in fine, illam in media ſuperiori parte oſculatur, & proſequitur verba: *ut ope miſericordiæ tuæ adjuti &c.* interim dextra ſubmittens patenam hoſtiæ, & indice ac pollice ſiniſtræ hanc ſuper patenam accomodat; Calicem dein, dextra diſcooperit, & genuflexus Sacramentum adorat.

Adorato Sacramento celebrans erigens ſe, indice, & pollice dextræ hoſtiam accipit, ſimulque illam pollice, & indice ſiniſtræ ſuper calicem erectam tenens reverenter per medium frangit, dicens: *Per eundem Dominum.*

Fracta hoſtia, mediam partem dextræ manus ponit ſuper patenam, deinde de alia, media, quam indice & pollice ſiniſtræ tenet, manu dextra frangit in inferiori parte particulam, proſequens: *Qui tecum &c.* & interim tenens manu dextra particulam, partem majorem, quam ſiniſtra tenebat, eadem ſiniſtra adjunget medie ſuper patenam poſitæ; dicens: *In unitate Spiritus Sancti Deus*, tandem

manu

manu ſiniſtra tenens calicem infra cuppam per nodum dicit: *Per omnia ſæcula &c.* ſignatque ter a labio ad labium calicis dicens: *Pax † Domini ſit † ſemper vobis † cum.*

Reſponſo per Miniſtrum: *& cum ſpiritu tuo*, particula, quam dextra manu tenet, in calicem cadere ſinat, dicens ſecreto: *Hæc commixtio &c.* deinde pollices, & indices ſuper calice aliquantulum tergit, & jungit, calicem cooperit, genuflexus Sacramentum adorat: mox ſurgens, & ſtans manibus ante pectus junctis, ut diximus, ad *munda* capite verſus Sacramentum inclinato, dicit intelligibili voce: *Agnus Dei*: qnæ dicens manu ſiniſtra ſuper corporale poſita, dextra pectus ter percutit.

Dicto *Agnus* Sacerdos manibus junctis, & ſuper altare poſitis, oculis ad Sacramentum intentis, inclinatus ſecretò dicit; *Domine Jeſu Chriſte*, & conſequentes orationes; quibus finitis genuflexus Sacramentum adorat, & ſe erigens dicit ſecreto: *Panem cæleſtem &c.*: quo dicto accipit reverenter manu dextra ambas partes hoſtiæ, illaſque inter pollicem & indicem ſiniſtræ manus collocat, quibus patenam inter indicem, & medium ſupponit, & has ſic ſuper patena tenens inter pectus & calicem, parum inclinatus ter percutit ſibi pectus, ter dicens: *Domine non ſum dignus &c.* Quo tertio repetito ſe parum erigens accipit ambas partes hoſtiæ pollice & indice dextræ, & cum iſtis ſupra patenam ſignat ſeipſum, ita ut ta-

ut tamen non egrediatur patenæ limites, dicens: *Corpus Domini &c.* & ſe iterum inclinans partes hoſtiæ reverenter ſumit.

Sumpto Sacramento, ſe erigit, deponit patenam ſuper corporale, manus ante pectus jungit, & aliquantulum in meditatione tanti Sacramenti quieſcit: deinde depoſitis manibus dicit ſecreto: *quid retribuam &c.* & interim calicem diſcooperit, genuflectit, Sacramentum adorat, ſurgit, accipit inter indicem & medium dextræ patenam, colligit fragmenta, ſiquæ ſunt & manu ſiniſtra tenet corporalis extremitates, quò facilius fragmenta colligantur: poſtea manu ſiniſtra tenens patenam ſuper calice erectam, indice & pollice dextræ illam extergit, ne aliquod fragmentum remaneat.

Poſt patenæ exterſionem celebrans accipiens manu dextra per nodum calicem inter indicem, & medium: [illum vero accipiat ad verba: *Calicem ſalutaris accipiam*] ſiniſtra patenam tenens elevatam ad verba *Sangui Domini &c.*

Mox Calicem elevat ſignat ſe cum illo, manu ſiniſtra patenam mento ſupponens, & ſtans reverenter totum ſanguinem bibit.

Hauſto ſanguine porrigit calicem Miniſtro ſuper altare, ſed caveat ne calicem ſuper altare ponat, quippe in eo adhuc ſanguinis reliquiæ remanent nec extra altare, & interim dicit: *quod ore ſumpſimus &c.* tum circumagendo

§. NONUS.

De Poſtcomm. uſque ad finem Miſſæ.

CElebrans calice in medio poſito, facta reverentia Cruci, iunctis manibus accedit ad cornu Epiſtolæ, & Poſtcomm. dicit; quia dicta redit in medium altaris, & oſculato altari, vertit ſe ad populum, ut ſupra, dicens: *Dominus vobiſcum* & per eandem viam revertitur, ut alias rationes dicat; quibus finitis claudit librum, vel ſi dicendum erit aliud Evangelium in fine quàm illud S. Joannis, librum apertum ſinat, ſignumque faciat Miniſtro, ut illum, ad cornu Evangelii vertat; manus jungit, ad medium altaris redit, illud oſculatur, dicatque: *Dominus vobiſcum*, ut ſupra.

In feriis quadrageſimæ, ad *humiliate capita veſtra Deo* caput inclinat, dein extenſis manibus orationem proſequitur.

Dicto *Dominus vobiſcum*, ſi dicendum erit *Ite Miſſa eſt*, Sacerdos ſtans, ut ſupra, manibus ante pectus junctis verſus populum immediate poſt *Dominus vobiſcum* dicat: *Ite Miſſa eſt* ſi vero dicendum erit, *Benedicamus Domino*, vel *Requieſcant in pace*; illa dicat verſus altare, poſtquam dicto, *Dominus vobiſcum*, per eandem viam reverſus fuerit ad medium altaris.

Dicto *Ite Miſſa eſt* revertitur per eandem viam ad medium altaris, vel dicto *Benedicamus*

mus Domino, ipſe ſtans in medio altaris junctis manibus ſuper eo, & capite inclinato dicit: *placeat* quo dicto, manibus hinc inde ſuper altare poſitis oſculatur altare, & erigens ſe oculoſque ad Crucem elevans, manus extendens, & ſtatim jungens dicit: *Benedicat vos &c.*

Deinde vertit ſe ad populum; verſus quem ſtans manu dextra extenſa, digitis tamen junctis populum ſemel benedicit dicens: *Pater & Filius* ✝ *& S.S.* ſiniſtra infra pectus poſita, & perficiens circulum præterquam in Miſſa coram expoſito *vide R. G. 22.* iterato jungit manus, & dicto *Dominus vobiſcum* pergit ad legendum Evangelium, ad cujus principium ſignat primo librum, deinde ſe, modo ſupradicto, & manibus junctis Evangelium proſequitur.

Si in ultimo Evangelio erit genuflendum cum venerit ad illa verba, poſitis hinc inde ſuper altare manibus, genuflectit, ut diximus ſupra ad *Flectamus genua*, dictiſque verbis ſurgit, & terminato Evangelio, illud non oſculatur, librum claudit, manibuſque junctis, ad medium altaris redit.

Sacerdos in medio altaris exiſtens ſiniſtra per nodum calicem accipit, dextra poſita ſuper burſam & facta inclinatione Cruci, vertit ſe a cornu Epiſtolæ deſcendit in plano, & ſtans ante infimum altaris gradum facit priùs Cruci profundam reverentiam, vel ſi fuerit Sacramen-

mentum, genuflexionem: tum accipit de manu Miniſtri biretum, & ſe cooperit, eodemque modo, quo a Sacriſtia ad altare acceſſit, ab altari in Sacriſtiam redeat interim dicens Antiphonam: *trium puerorum*, de qua infra.

Sacriſtiam ingreſſus facit Cruci profundam reverentiam, tum calicem deponit, ac ſe veſtibus ſacris inverſo ordine exuit deponendo 1. *Biretum* 2. *Planetam* 3. *Stolam* 4. *Manipulum* 5. *Cingulum* 6. *Albam* & 7. *Amictum*: quibus depoſiti ſi per viam non fecerit gratiarum actionem, illam faciat, & tandem lotis manibus diſcedere poſſit.

§. DECIMUS.

De his, quæ in Miſſa defunctorum omittuntur.

MUlta ſunt in Miſſis defunctorum, quæ omittuntur: hæc pro majori commoditate, hic adnotabo.

Primò: omittur Pſalmus *judica me Deus*, ſed reſponſo per Miniſtrum ad *Deum qui lætificat &c.* ſtatim Sacerdos dicit *Adjutorium noſtrum*.

Secundò: Ad introitum Sacerdos non ſe ſignat, ſed ſiniſtra ſuper librum extenſa, & poſita; dextra ſuper illum in aere format ſignum Crucis dicens: *Requiem æternam &c.*

Tertiò: poſt Pſalmum *Te decet* non dici-

tur *Gloria Patri*, ſed repetitur immediate introitus: *requiem æternam*.

Quartò: Non dicitur *Gloria in excelſis*, nec dicitur *Alleluja* nec *Jube Domine*, *nec Dominus ſit in corde &c.*

Quintò: In fine Evangelii Sacerdos librum non oſculatur, nec ideo dicit *per Evangelica dicta &c.*

Seſtò: Numquam dicitur *Credo*.

Septimò: Non benedicitur aqua in calicem fundenda, licet dicatur oratio *Deus, qui humanæ &c.*

Octavò: In fine Pſalmi *Lavabo* non dicitur *Gloria*.

Nonò: Ad *Agnus* Dei dicitur *dona eis requiem*, & ad ultimum additur, *ſempiternam*; nec pectus ſibi percutit dum hæc dicat Sacerdos.

Decimò: Non dicitur prima oratio ante commun. *Domine Jeſu &c.* nec ideo datur pax.

Undecimò: Non diciur *Ite Miſſa eſt*, ſed *requieſcant in pace*.

Duodecimò: Non datur benedictio, ſed dicto *placeat* oſculato, ut ſupra altare, legit Evangelium, S. Joannis, & numquam aliud,

§. UN-

§. UNDECIMUS.

Appendix ad ſupradictam Diſſertationem, de Sacerdote particulas conſecraturo, & communicaturo.

UTea, quam in principio promiſi, methodo, ac facilitate in meis hiſce Diſſertationibus procedam; quamquam promiſcuè Miſſalis Rubrica de cæremoniis a Sacerdote celebraturo, particulas conſecraturo, alioſque communicaturo tractet: non abs re tamen me facturum arbitror, ſi ſejunctim in hac appendice cæremonias, quas Sacerdos alios communicaturus, ſervare debeat, notatum ivero.

Sacerdos ergò aliquas particulas conſecraturus, illas ſuper corporale ponat; ſi verò ſint in aliquo vaſe, ſeu pixide poſitæ, cum ad offertorium pervenerit vas ſeu pixidem manu dextra diſcooperiens, dum hoſtiam ſuper patenam poſitam offert, intentionem dirigit ad illas offerendas conſecrandaſque, dicens: *Suſcipe ſancte &c.* qua oblatione finita vas patena, vel palla cooperit.

Deinde cum ad conſecrandam hoſtiam venerit, ante quam illam manibus accipiat, iterum vas particularum diſcooperiat, & prolatis verbis conſecrationis elevato, & adorato Sacramento, dictum vas cooperit, & ſecundæ ſpeciei conſecrationem proſequitur.

Cum ſe Sacerdos prima ſpecie commu-

nicaverit, ſi particulæ conſecratæ erunt poſitæ ſuper corporali, facta prius genuflectione, reponit eas in vaſe ad id ordinato, & poſtea colligit fragmenta, etiam minuta cum patena, quæ in calicem mittit antequam ſanguinem ſumat.

Si qui erunt communicandi Sacerdos ſumpto ſanguine, antequam ſe purificat, & calice cooperto particulas ſuper corporale poſitas, ſuper patenam ponit; ſi paucæ ſint, (niſi a principio ut ſupra diximus poſitæ erunt in pixide) dicto priùs per Miniſtrum *Confiteor* genuflectit, ſurgit, & junctis manibus vertens ſe ad comunicandos in cornu Evangelii ità ut terga non vertat Sacramento, dicit: *Miſereatur veſtri &c. Indulgentiam &c.* ad que verba ſignum Crucis ſuper communicandos facit ſiniſtra infra pectus poſita; deinde vertit ſe ad altare iterum, genuflectit, & accipiens ſiniſtra vel patenam vel pixidem, pollice, & indice dextræ ſumit particulam, quam elevatam tenens ſuper patenam, vel os pixidis, ad communicandos in medio altaris converſus dicit: *Ecce Agnus* Dei; deinde ter: *Domine non ſum dignus.*

Quibus tertio repetitis ab altari diſcedens incipit communicare a latere Epiſtolæ porrigendo unicuique Sacramentum, dicendo: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam Amen*: & omnibus communicatis redit per medium ad altare,

re, patena colligit fragmenta, in calicem mittit, hunc Miniſtro porrigit ad ſe purificandum interim dicens: *quod ore ſumpſimus &c.*

Si vero particulæ fuerint conſervandæ, ſumpto ſanguine calicem cooperit, tabernaculum aperit, genuflectit, pixidem accipit, illam intra tabernaculum ponit, iterum genuflectit, tabernaculum claudit, & ſe ut ſupra purificat.

Si vero in altari tabernaculum non fuerit, & aliquæ a communione particulæ remanſerint; illas ſumat poſt ſanguinem; deinde ſe purificat.

Si communicaverit in principio Miſſæ poſt communionem illos immediate benedicat, dicens: *Benedictio Dei omnipotentis Patris & Filii † & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper* ſi in medio Miſſæ non benedicit, quippe præſumuntur audituri Miſſam, ac propterea benedictionem in fine Miſſæ expectare. Si poſt Miſſam, illos benedicat: Si tandem in Miſſa defunctorum communicet, quia ſolum in medio communicare Sacerdos poteſt, illos numquam benedicat.

Si tandem in principio vel fine Miſſæ communicaverit, communione facta, ac benedictione data, pollicem, & indicem dextra abluat aqua in vaſe ad id in altari præparato, & illos purificatorio abſtergat.

DISSERTATIO VIII.

De Partibus Miſſæ.

EXplicatis jam Cæremoniis in Miſſa a Sacerdote ſervandis, ad hujus mox partes explicandas accedimus, propterea de omnibus Miſſæ partibus, ea qua neceſſe erit brevitate, diſſeremus: ſit ergo.

CAPUT UNICUM.

Explicantur ſingulæ Miſſæ partes.

QUatuor communiter Miſſæ partes aſſignantur: Prima, quæ incipit a principio & in offertorium deſinit: ſecunda ab offertorio uſque ad conſecrationem peragitur: Tertia a prædicta uſque ad Communionem perficitur: Quarta tandem a Communione uſque ad Miſſæ finem completur: de his ergo in ſequenti.

§. UNICUS.

De ſingulis Miſſæ partibus De Pſalmo *Judica me Deus.*

JAm ſatis ſuperque diximus ſupra in principio præcedentis Diſſert. quando Pſalmus hic eſt dicendus, ommittenduſque, ſcilicet, *tempore*

pore Paſſionis, & in Miſſis defunctorum eo quod, ut ait: *Doctiſſimus Turneli;* verba illa *quare triſtis es anima mea* lætitiam indicant, quæ impropria eſt in Miſſis *de tempore Paſſionis & defunctorum.*

Hic Pſalmus olim non recitabatur ad altare, ſed in præparatione, vel acceſſu ad altare: de mandato dein Pii V. fuit in Miſſæ principio inſertus.

De Introitu.

INtroitus (*a*) ita dictus, vel quia ut volunt aliqui a Sacerdote in Miſſæ introitu vel principio dicitur; vel quia canitur a Choro in introitu Sacerdotis ad altare. Semper eodem modo dicitur cum *Gloria Patri*, præterquam in Miſſis *de tempore Paſſionis & defunctorum.*

(*a*) Antiquitus Pſalm. in Introitu canebatur Integer, ſed poſtea ob populi tædium detruncatus eſt S. Aug. *Serm.* 115. *de temp.* Denotat reiteratas SS. Patrum pro adventu Meſſiæ preces, & ideo replicatur *Innoc.* III. *lib.* 1 *de miſt. Miſſ. cap.* 18. Huius Auctor eſt *S. Gregorius. Brunus de Cærem lib.* 2. *cap.* 5.

mini [*d*], *& Sabbati Sancti* etiamſi in eorum officio non ſit dictum *Te Deum*.

In Miſſa votiva Angelorum tum in communi, cum & in particulari, eo quod ab illis fuerit decantatus.

In Miſſa votiva B. M. V. in Sabbato tantum ratione Sabbati.

In Miſſis votivis ſolemnibus dummodo non celebrantur cum colore violaceo.

Omittitur in omnibus aliis Miſſis etiam votivis B. M. V. infr. illius octavas, etiam tempore Paſchali, [*e*] in votivis Angelorum & in Miſſis tandem defunctorum. (*f*)

De Orationibus.

ORatio ſic dicta fuit & quod celebrans, populo per *Dominus vobiſcum* ſalutato, omnes ad orandum invitabat, dicens: *Oremus*, & omnes dein ſub ſilentio orabant.

Voca-

(*d*) Ob ſignum lætitiæ in publicorum pœnitentium reconciliatione, quæ in hoc die celebrabatur Bonifacius ordinavit ut in feria 5. Cœnæ Domini decantaretur. *Durandus lib. 6. cap. 73.*

(*e*) In Sacra Lauretana Domo in quacumque votiva B. M. V. ex privilegio ſpeciali numquam omittitur.

[*f*] In ſignum mæſtitiæ, ſicut & in Dominicis adventus & Septuag. uſque ad Paſcha, & in feſto SS. Innocentium ob genetricum dolentium commiſerationem omittitur Gloria &c.

Vocatur etiam communiter *collecta*, quia ſuper collectum populum fundebatur, vel quia in illa compendioſa brevitate populi vota colligebat Sacerdos: quænam autem orationes in qualibet Miſſa ſunt dicendæ, inferiùs notemus. [a]

In feſtis duplicibus, & in die octava ſit *una tantum oratio*, niſi facienda erit aliqua comm. de qua infra.

In feſtis ſemid. ab octava Epiphaniæ, uſque ad Purificationem 2. *Deus qui ſalutis* 3. *Eccleſiæ vel pro Papa*.

In feſtis ſemid. a Purificatione uſque ad quadrageſimam. 2. *a cunctis*, 3. *ad libitum*.

In feſtis ſemid. a fer. 4. Cinerum uſque ad Dom. Paſſionis, 2. *fer.* 3. *a cunctis*.

In feſtis ſemid. ab octava Paſchæ uſque ad Aſcenſionem 2. *de Sancta Maria: concede nos*: 3. *Eccleſiæ vel pro Papa*.

In feſtis ſemid. ab octava Pentecoſtes uſque ad Adventum 2. *erit a cunctis*, 3. *ad libitum*.

In ſemid. a Dominica Paſſionis uſque ad Dominicam Palmarum 2. *erit fer.* 3. *Eccleſiæ vel pro Papa*.

In feſtis ſemid. infra oct. occurentibus 2. *dicitur de oct.* 3. quæ ſecundo loco infr. octavam ponitur.

Infra

(a) Dicitur collecta brachiis extenſis, quia Sacerdos Chriſti perſonam in Cruce Patrem orantem repreſentat.

Infra octavas Paſchæ & Pentecoſtes in Miſſa de octava dicuntur duæ tantum: 1. *de die* 2. *Eccleſ. vel pro Papa*.

Infr. alias octavas tres dicuntur 1. *de die* 2. *de S. Maria* 3. *Eccleſiæ vel pro Papa*.

Infr. oct. S. Mariæ & in vigilia & infr. oct. Omnium SS. tres etiam dicuntur orationes 1. *de die* 2. *de Spiritu Sancto*: *Deus qui corda fidelium* 3. *Eccleſiæ vel pro Papa*.

In omnibus Dominicis infr. oct. occurentibus duæ dicuntur orationes 1. *de Dom.* 2. *de octava*.

In vigilia Pentec. & Nativitatis dicitur una oratio: ſi verò vigilia Nativitatis venerit in Dom. dicuntur duæ orationes 1. *de vigil.* & 2. *Dom.*

In omnibus Dominicis per annum 3. dicuntur orationes, ut ſuis locis in Miſſali notatur.

In feſtis Simplicibus, & fer. per annum dicuntur orationes ut ſupra in ſemid. niſi aliter notetur, & poſſunt dici uſque ad ſeptem.

In feriis 4. temporum cum plures dicantur orationes, hæ dicendæ ſunt poſt ultimam orationem ante Epiſtolam, ut ſuis locis notatur.

In Miſſa privata de feſto *ſemid. ſimpl. fer. octava* poteſt penultimo loco dici oratio *Fidelium vel pro defuncto vel defuncta*, dummodo una ex aſſignatis non omittatur: quippe ut S. R. C. declaravit non eſt neceſſe orationes in Miſſa eſſe impares *vide Diſſert. III.*

In Miſſis pro exponendo, vel coram expoſi-

poſito poſt omnes orationes etiam poſt imperatam, ſiquæ erit, a ſuperiori; fiat oratio de SS. Sacramento, quæ in feſtis primæ claſſis fiat conjunctim cum oratione feſti ſub unica concluſione.

In duplicibus primæ claſſ. non fit oratio ab Epiſcopo imperata.

Quoties dicenda erit oratio imperata non poteſt dici loco orationis *ad libitum*, ſed poſt orationem ad libitum eſt dicenda.

Si plures ſint orationes a ſuperiore imperatæ, illa prior eſt dicenda, quæ priùs fuit præcepta.

Oratio ad libitum dicitur quælibet oratio, quæ extat inter alias orationes, quæ in fine Miſſalis notantur: ideo præcepta oratione ad libitum, unam ex illis dicere poteſt Sacerdos hinc quando præcipitur: 3. *ad libitum* ſenſus non eſt quod tertiam orationem ſi velit dicat, & ſi nolit, omittat; ſed Sacerdos pro tertia oratione dicat unam ex illis, quæ ipſi placuerit.

Si cum plures dicendæ ſint orationes, occurrerit alicujus ſancti commemoratio, hæc ſecundo loco ponatur, ut infra dicetur, & tertio loco quæ ſecundo loco dicenda erit.

In orationum concluſione hic modus ſervandus eſt: ſi oratio dirigatur ad Patrem, concluditur: *Per Dominum &c.* ſi in principio orationis fuit facta mentio Filii: *Per eundem Dominum &c.* Si in fine fiat mentio terminatur: *Qui tecum vivit.*

Si

Si oratio dirigatur ad Filium terminatur: *Qui vivis, & regnas*: ſi fuerit facta in oratione mentio Spiritus Sancti in concluſione additur: *Qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus &c.*

De Epiſtola Graduali, & Alleluja.

EPiſtola ſuam (*a*) nomenclationem ſumpſit ex Epiſtolis Pauli, eò quod verba in hujuſmodi lectionibus ut plurimum ex Epiſtolis Pauli deſumuntur: hinc antiquis olim dicebatur: *Poſt collectam ſequitur Apoſtolus.*

Epiſtola in omnibus Miſſis etiam defunctorum dicitur ſtatim [*b*] poſt orationem vel orationes.

Graduale dicti fuere verſus illi ex Pſalmis deſumpti ſtatim poſt Epiſtolam canendi, & ſic dicti ſunt quia dum gradus ambonis Diaconus Evangelium canturus accederet, a choro canebantur, ne otioſe illud tempus tranſigeretur.

Hoc Graduale ſemper dicitur excepto tempore Paſchali: vide Rubricam ſpecialem *in Sabb. in Albis.*

Poſt

[*a*] D. Hieronimus diſtribuit omnes Epiſtolas, & Evangelia per annum in Miſſa recitanda, quæ confirmata ſunt a S. Damaſo.

(*b*) Ad pœnitentiæ reſpicit lamentum cantus Gradualis, aſper, & gravis: ſignificat enim laborem operantium *Rupert. de divin. offic. lib.* 1. *cap.* 34.

Poſt Graduale dicuntur duo *Alleluja*, & poſt unum verſum aliud *Alleluja*: & tempore Paſchali, quando non dicitur graduale, additur in fine aliud *Alleluja*.

Alleluja [c] dicitur *in vigilia Nativitatis*, ſi venerit in Dominica, *in vigilia Paſchæ, & Pentec. in quatuor temporibus Pentecoſtes. In feſto Innocentium* ſi venerit in Dominica.

Omittitur autem Alleluja cum verſu ſequent. *in Miſſa de fer. in adventu & in quatuor temporibus, & vigiliis*, quæ jejunantur & *in Miſſis defunctorum*. (d)

De ſequentia, Tractu, & Evangelio.

SEquentia eſt Rhitmus ille, qui in aliquibus Miſſis poſt Epiſtolam legitur. Antiquitus mos dicendi hujuſmodi ſequentias erat frequentior in Eccleſia.

Sequentia nunc in ſolis quinque Miſſis dicitur: nempe in Miſſa *Reſurrectionis*, *Pentecoſtes*, *Corporis Chriſti*, *Dolorum B. M. V.* & *Defunctorum*. (e) Tra-

(c) Vox eſt hebrea lætitiam denotans; hinc omittitur indiebus pœnitentiæ, & mœſtitiæ: tempore Damaſi Papæ introducta fuit in Eccleſia latina ex Hieroſolimitana.

(d) Olim tamen in funeralibus canebatur: *D. Hieron. in Epiſt. ad Oceanum*, quod retinent in funeralibus aduc Greci.

[e] Nicolaus Papa ſi Durando credimus primus has ſequentias cani ordinavit in Eccleſia.

Tractus meſtitiam aliquam ſignificat, & ità vocatur, quia ejus verſiculi tractim, & graviter in mæſtitiæ ſignum cantantur, [a] ut tempus ipſum, in quo Tractus cantatur, oſtendit.

Tractus pro *Alleiuja* dicitur a *ſeptuag. uſque ad Paſch.* in Miſſâ de temp. quamvis aliquæ excipiantur, de quibus ſuo loco; & a ſeptuag. uſque ad quadrag. quando repetitur Miſſa Dom.

Terminato Graduali, vel Tractu legitur Evangelium eò modo, quo ſupra notavimus.

De Symbolo.

SYmbolum [b] eſt quædam fidei regula, ſeù brevis credendorum collectio.

In Miſſa tribus de cauſis dici poteſt Symbolum: vel ratione Miſterii, vel ratione doctrinæ, vel ratione celebritatis.

Quoquo modo erit dicendum, dicitur.

In omnibus Dom. per annum, etiamſi non fiat Miſſa de Dominica. In

(a) Melius dicitur *traſtus* quia trahitur tempus, pro intervallo, quo Diaconus poſſit exuere planetam & imponere ſibi tranſverſaliter velum.

(b) Romæ antiquitus non recitabatur *Credo* in Miſſa ab denotandum ibi fidei firmitatem ab omni hæreticali labe penitùs immunem. Apud AA. Symbolum Symbola ſeu Symbolus portionem comeſtivam, ſignificat. *Terentius in And. Symbolam dedit. fœnavit, gaudebam.*

In tribus Miſſis Nativitatis Domini uſque ad oct. S. Joannis Evangeliſtæ.

In Miſſis dierum Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti & per totas eorumdem oct.

In Miſſa Cœnæ Domini. [c]

In Miſſa Inventionis, & Exaltationis S. Crucis, & brevi in omnibus feſtis Chriſti, & B.M. V. perque eorum octavas, ſi habuerint.

In Miſſis SS. Apoſtolorum, & Evangeliſtarum.

In Miſſa utriuſque Cathedræ S. Petri, & in feſto ejus ad Vincula.

In Converſione, & commemoratione S. Pauli; & in Melita etiam in die commemorationis adventus illius in eandem inſulam.

In feſto S. Joannis ante portam latinam.

In feſto S. Barnabæ.

In feſtis SS. Angelorum tum in generali, cum & in particulari.

In feſto S. Mariæ Magdalenæ, quia ex Innocentio fuit diſcipula diſcipulorum in annunciando illis Chriſti reſurrectionem.

In feſtis quatuor Doctorum Eccleſiæ: *Gregorii, Ambroſii, Auguſtini, & Hieronimi.*

In feſto S. Thomæ de Aquino. *Bonaventuræ, Athanaſii, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Chriſoſtomi, Anſelmi, & aliorum.*

(a) Antiqnitus non dicebatur: *Durand. lib. 6. cap. 76.* quia Apoſtoli titubabant in fide, verùm hodie dicitur propter conſecrationem Chriſmatis: *Davant. in ſuo mſ. Cæremon.*

In octava S. Joannis Baptiſtæ, & S. Laurentii propter occurrentes infra octavas Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli & Aſſumptionis.

In feſto omnium SS., & per octavam.

In feſto Dedicationis SS. Salvatoris, & SS. Apoſtolorum,

In Anniver. Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & per totam octavam, & Eccleſiæ Cathedralis reſpectu Eccleſiarum ſubditarum.

In die conſecrationis Eccleſiæ, vel Altaris.

In feſto Sanctorum Titularium cujuſcumque, & illorum, quorum habetur inſignis reliquia.

In die Creationis, Coronationis, & Anniverſaria coronationis Summi Pontificis.

In die Electionis, & Conſecrationis, & in anniverſario Electionis, & Conſecrationis Epiſcopi.

In omnibus feſtis, quæ in Dominica celebrantur, ratione Dominicæ.

In omnibus feſtis, quæ celebrantur infra octavas habentes Symbolum; propter octavas.

In feſtis principalibus Ordinum in Eccleſiis tantum illius Ordinis.

De Offertorio & Secretis.

OFfertorium ab oblatione dicitur, eo quod ſignificat oblationem munerum, quæ olim fiebat a populo fideli ſacerdotibus,

nunc oblationem panis & vini, quæ fit Deo per Sacerdotes illis orationibus *Suſcipe S. Pater*, & *offerimus tibi Domine*; [a] olim etiam vocabatur *offerenda*.

Hoc offertorium ſemper dicitur in omnibus Miſſis, excepta Miſſa Sabbati Sancti. [b]

Orationes ſecretæ dicuntur illæ, quæ reſponſo pro miniſtrum *Suſcipiat Dominus Sacrificium* &c. ſtatim a ſacerdote dicuntur ſecreto, ideo vocantur ſecretæ: & dicuntur abſque *oremus*, quia jam ſacerdos per verba *orate fratres* populum ad orandum invitaverat.

Hæ orationes ſecretæ regulantur & terminantur eodem modo, quo ſupra diximus de aliis orationibus.

De Præfationibus, & Canone.

PRæfatio eſt quædam populi præparatio, & excitatio ad canonem, & eſt actio in qua ſacrificium conſiſtit: hinc Sacerdos adſtantes monet, ut ſurſum ad Deum ſua corda ſublevent.

De canone plura dicam in *Diſſert. ultima.*

Præ-

(a) Eſt illa Miſſæ pars in quadam brevi Antiph. conſiſtens, quæ tempore oblationis canebatur.

(b) Quia tacent Cantores, Mulieres Dominum in taciturnitate quærentes; imitantes. Nam illi nocturni ſilentii favore unguenta Salvatori attulerunt, *Albin. de divin. Offic.*

Præfationes dicuntur, ut in Miſſæ ordine notatur. [a]

In Dominicis, & feſtis tempore quadrageſimæ, Paſſionis, & Paſchali, vel infr. octavas occurrentibus, ſi non habeant propriam præfationem, dicitur præfatio de tempore, ſeu de octava occurrenti; etſi hæc non habuerit, dicitur præfatio communis.

Si infra oct. alicujus feſti propriam habentis præfationem occurrat feſtum ex majoribus propriam præfationem non habens, præfatio dicitur de octava, quamvis de hac nulla fuerit facta commemoratio.

In miſſis votivis quænam præfatio dicenda ſit, vide quæ diximus ſupra ſuo loco.

In Miſſis Defunctorum dicitur Præfatio communis.

Inter Præfationes in Ordine Miſſæ aſſignatas. I, III. & V. habent *Communicantes*, & *Hanc igitur oblationem* propria. II. & IV. habent ſolum *Communic.* prop.

(a) Auctorem Præfationis aliqui putant S. Dionyſium, alii S. Leonem, & alii Gelaſium; Certum tamen eſt, Pelagium II., ut teſtatur inveniſſe in Rom. Catalogo novem Præfationes, quibus deinde Urbanus II. anno 1095. addidit decimam de B. M. V. dum in Eccleſia ejuſdem Virginis Campaniæ celebraret, quæ repente per Spiritum Sanctum ei ſuggeſta fuit cum totius populi ibi aſtantis ſtupore.

Communicantes, & *Hanc igitur* quando dicenda erunt, terminantur cum octava, non ſic autem Præfatio, quæ etiam extra octavam protrahitur; ſic *communic.*, & *Hanc igitur* de nativit. terminantur in die circumciſionis, & tamen Præfatio de nativit. protrahitur uſque ad Epiphaniam.

Hinc ſeparatur Primò *commun.* a Præfatione in feſto Purificationis, & Corporis Chriſti, in quibus dicitur Præfatio de Nativitate, ſed non *communic.*

Secundò a Dominica in albis uſque ad Vigiliam Aſcenſionis, in quibus dicitur Præfatio Paſchalis abſque *communic.* & duobus diebus poſt octavam Aſcenſionis dicitur Præfatio de Aſcenſione, ſed non *communic.*

Tertió in omnibus feſtis occurrentibus infra octavas habentes propriam præfationem & *communic.* ſi feſta habeant propriam præfationem, hæc dicitur, ſed *communic.* de octava, ut ſi occurrat feſtum S. Crucis infra oct. Aſcenſis, Præfatio erit de Cruce, & *communic.* de Aſcenſione.

Sit Regula quod *communicantes* & *Hanc igitur* ſunt affixa octavæ, propterea elapſa octava numquam dicuntur: non ſic autem Præfatio, quæ aſſignatur tempori, & non octavæ, & ideo extra octavam extenditur.

Communio dicitur Pſalmus ille, ſeu pſalmi ver-

verſus, quos Sacerdos cooperto Calice, antequa alias dicat orationes junctis manibus in cornu Epiſtolæ legit.

Dicitur autem Communio, quia olim Antiphona hæc, dein integer Pſalmus, ex quo hæc Antiphona deſumpta fuit, dum populi communio fiebat, [a] canebatur; quo finito cum ſuo *Gloria Patri* repetabatur Antiphona, ſicque cantus protrahebatur uſque dum populi communio perageretur.

Hic verſiculus in omnibus miſſis dicitur, cui tempore Paſchali additur, *Alleluja* & in Miſſis defunctorum loco hujus verſiculi canitur: *Lux æterna &c.*

De Poſtcomm. & aliis uſque Ad Miſſæ finem.

POST communio, quæ in aliquibus pervetuſtis Ritualibus *complenda* dicitur, eſt illa oratio, ut nomen ipſum notat, quæ immediate poſt communionem legitur.

Hæ orationes eodem modo ordinantur, quo modo diximus ſupra de orationibus, & de ſecretis quo ad numerum, ordinem, & concluſionem.

[a] Communio non dicitur in miſſa Sabbati Sancti quia ea die communio populo non fiebat; & propterea abuſus cenſendus eſt illorum, qui communionem concedunt in hac die: vide *Macr. in ſuo Hierolex. verb. communio*.

Dictis his orationibus, & repetito *Dominus vobiſcum*, ſi in Miſſa dictus fuerit hymnus Angelicus, dicat: *Ite Miſſa eſt.* Si non fuerit dictus hymnus Angelicus dicitur *Benedicamus Domino*; & tandem in Miſſis defunctorum dicitur: *Requieſcant in pace* & numquam *requieſcat*, etiam ſi pro uno Sacerdos celebret.

Legitur Evangelium in fine S. Joannis: *In Principio*, quod in miſſis votivis ſemper dicitur: excipe Primò, ſi in Domin. fiat de feſto, in fine legitur Evangelium Dominicæ, dummodo non ſit Dominica *vacat*: & in Dominica 4. Adventus, ſi in vigilia Nativitatis occurrat, quia tunc Miſſa erit de Dominica, & Evangelium vigiliæ in fine.

Secundò. Si in fer. vigilia, quatuor temporibus, fit de feſto; Evangelium in fine erit defer. ſi habuerit; aliter legitur Evangelium *S. Joannis*.

Tertiò. In tertia Miſſa Nativitatis Evangelium in fine erit de Epiphania: *cum Natus eſſet Jeſus.*

Quartò. In Dom. Palmarum in Miſſis privatis in fine legitur Evangelium benedict. Palmarum: *Cum appropinquaſſet Jeſus.*

Appendix ad ſupradictam Diſſertationem De Commemorationibus.

AD perfectam Rubricæ Miſſalis notitiam de commemorationibus aliqua addere opus proculdubio erat; quamobrem pauca hic de

de commemorationibus dicamus.

Commemorat. in Miſſa regulantur ſicut in officio.

De feſto ſimplici fit commemoratio in Miſſa privata uſque ad duplex II. claſſis inclusivè; numquam autem fit in Dominica Palmarum, & in vigilia Pentecoſtes.

De Dominica ſemper fit commemoratio, etiamſi in ea fit de feſto dupl. I. claſſis.

De octava ſemper fit commemoratio etiam in Dominica infra octavam, quando Miſſa erit de Dominica.

Quando Infra oct. fit de aliquo feſto, ſemper fit comm. octavæ; excipe tantum, ſi illud feſtum fuerit ſolemne principale alicujus loci.

De Fer. ſit comm. in adventu quadrageſima, quatuor temporibus, Rogationibus & vigiliis, quæ jejunantur; quando in his fiat Miſſa de aliquo feſto,

In feſtis I. claſſis nihil fit de vigilia occurrente.

Si facienda erit comm. fer. IV. temporum pro comm. fer. dicatur illa orat. quæ cum officio concordat.

Si facienda eſt comm. *pro Defunctis*, ſemper penultimo loco ponitur: In Miſſis autem defunctorum nulla fieri poteſt commemoratio *pro vivis*.

Qnando plures dicuntur orationes, ante primam, & ſecundam dicitur *oremus*; ſed prima, & ultima ſua concluſione terminantur.

Si ex pluribus orationibus una erit eadem cum altera, ſecunda commutetur cum prima, quæ deſumitur ex communi, vel proprio, quæque ſit diverſa: idem dic de *ſecretis*, & *orationibus Poſtcomm.*

Si plures occurrant dies infra octavas, ſervetur dignitas, ideſt ut 1. fiat de dignori, 2. de minus digno.

De Miſſis votivis, & defunctorum vide *Diſſert. ſupradict.*

Commemorationum tandem hic eſt ordo: *de Dom.* fit ante infr. octavam, *de Infr. oct.* ante fer. privileg., *de fer.* ante feſtum ſimplex, *de ſimplici* ante orationes, quæ 2. vel 3. loco dicendæ aſſignantur.

DISSERTATIO IX.

De Defectibus in Miſſæ celebratione occurrentibus.

PLures tum in Rubrica, cum & apud Auctores defectus enumerantur, qui vel ex miniſtri Intentione, aut diſpoſitione, vel ex materiæ ineptitudine, formæque defectu ſolent nedùm ante Sacrificium, ſed & a peracto ſacrificio, imo vel in ipſo Miſſæ Sacrificio Sacerdoti evenire: ad hoc igitur, ut tantum hoc Miſſæ Sacrificium Sacerdos & validè, & licitè conficiat, omnes etſingulos defectus, de quibus

bus Rubrica primum, dein Auctores diffusè tractant, in ſequentibus breviter numerare perneceſſarium duxi.

CAPUT PRIMUM.

De Defectibus Miniſtri.

PLures enumerantur, qui ex facto Miniſtri oriri poſſunt defectus, nempe vel ex defectu intentionis vel diſpoſitionis animæ, vel corporis.

§. PRIMUS.

De Defectu Intentionis.

DIximus jam ſupra, quod ad conficiendum validè, ac licitè hoc Sacrificium requiritur intentio ſaltem virtualis, ex cujus defectu invalidum pluries redditur ſacrificium, ut in ſequentibus explicatum eo.

Primò: Si Sacerdos non intendit Euchariſtiam conficere, ſed deluſoriè aliquid agere, Euchariſtiam non conficit, quia non intendit facere id, quod facit Eccleſia.

Secundò: Si intenderit conſecrare hoſtiam & vinum, quæ videt, ſi aliquæ hoſtiæ remaneant ex oblivione in altari, vel aliqua pars vini, vel hoſtiæ lateat; illæ non ſunt conſecratæ, quia intentio non fuit facta circa illas, cum hæ fuerint Sacerdoti incognitæ.

Ter-

Tertiò : Si Sacerdos habeat coram ſe undecim hoſtias, & intendit decem tantum conſecrare, nulla erit conſecrata; quia non haberet intentionem circa determinatam materiam. Verum è contra ſi Sacerdos coram ſe habeat decem hoſtias, & intendat conſecrare undecim, omnes ſunt conſecratæ, quia in numero undecimo, decem jam ſunt conſecratæ; cum in nnmero majori includatur minor.

Quartò: Si Sacerdos putans ſe habere unam hoſtiam, tamen duas habeat, & materiam præſentem conſecrare intendit, utraque eſt conſecrata; & utramque ſimul ſumat in communione.

Quintò: Si Sacerdos habens duas hoſtias junctas, illaſque putat eſſe unam, quam conſecrare intendit, quia ejus intentio verè ac propie in illam fertur, quam videt, alia eſt extra intentionem: illa tantum, quam oculis videt, eſt conſecrata; quamvis propter reverentiam alia poſt ſanguinis ſumptionem ſumenda eſt.

Sextò: Si poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis, imo poſt ablutionem advertat aliquas reliquias conſecratas relictas eſſe, eas ſumat ſive parvæ ſint, ſive magnæ, etiam ſi illas Sacerdos in Sacriſtia repererit, eo quod ad idem Sacrificium ſpectant.

Septimò: Si relicta fuerit poſt oblationem aliqua particula, hanc in tabernaculo cum aliis reponat; etſi non fuerit ibi tabernaculum, illam ſa-

ſacerdoti celebraturo in eodem altari ſupra corporale decenter coopertam relinquet : Si neutrum fieri poterit, nec erit in illa Eccleſia tabernaculum, etiam non jejunus, illam ſumat.

Octavò : Si ſacerdos ſciat cum particulis conſecratis in pixide reperiri unam non conſecratam poteſt illam conſecrare determinate ſic : *Intendo conſecrare materiam non conſecratam, in hoc vaſe contentam*; ſicque determinat materiam modo ſibi poſſibili.

Nonò : Si aliquæ hoſtiæ ſint in altari, Sacerdote non advertente, ex oblivione alteriùs relictæ, vel juſſu illius non allatæ; non ſunt conſecratæ, quia intentio non fertur in ignotum.

Decimò : Guttæ vini in parte exteriori calicis exiſtentes, vel in pede illius, non conſecrantur, quia intentio non fertur in illas guttas, ſed in totum vinum, quod per modum totiùs continui in calice continetur.

Undecimò : Hoſtia ſubtus corporale poſita non conſecratur, quia intentio ad illam non fertur, nec eſt *moraliter præſens* Sacerdoti.

Sit ergo Regula generalis, ne erret Sacerdos, quod materia conſecranda debet eſſe *ſenſibiliter præſens moraliter*; ſcilicet, quæ prudentum judicio reputatur ſenſibiliter præſens, vel in ſeipſa, vel in continente, ut poſſit per *hoc* & *hic* demonſtrari.

Ex

Ex dictis habes, quod particulæ in pixide contentæ conſecrantur, etiamſi pixis erit cooperta; quia ſunt præſentes *ſenſibiliter moraliter*.

§. SECUNDUS.

De Defectibus Diſpoſitionis animæ.

DEfectus, qui ex parte diſpoſitionis animæ oriuntur plures eſſe poſſunt; qui tamen illicitum, ſed non invalidum Sacrificium reddunt: & ſunt.

Primò: Si Sacerdos erit *ſuſpenſus a celebratione Miſſæ*: Quo caſu ſi celebrat, peccat mortaliter, & illicitè celebrat, licet non invalidè: Nam ſuſpenſio eſt: *Pœna Eccleſiaſtica privans perſonam Eccleſiaſticam exercitio ordinis, vel beneficio*. Ita Moraliſtæ omnes.

Secundò: Si Sacerdos ſit *excommunicatus*, etiam excommunicatione minori, quia hæc privat hominem perceptione ſacramentorum; mortaliter peccat, licet irreguralitatem non contrahat: bene vero, ſi ſit excommunicatus excommunicatione majori: de quibus lege *AA*.

Tertiò: Si Sacerdos erit *degradatus*, illicitè Miſſam celebret, quia à Miſſæ celebratione eſt perpetuo privatus. Nam degradatio eſt: *privatio perpetua officiorum, & beneficiorum, ac privilegiorum Canonis, & fori*.

Quar-

Quartò: Si Sacerdos erit *irregularis*, nam per irregularitatem Sacerdos redditur inhabilis ad miniſtrandum ordinem ſuſceptum, quia irregularitas eſt *inhabilitas à jure inducta, qua quis impeditur a receptione, & executione ordinis*.

Quintò: Si Sacerdos erit *interdictus perſonaliter* nullibi, & numquam poteſt celebrare: & ſi ipſe interdictus, vel non interdictus celebret in loco interdicto, incurrit irregularitatem.

Sextò: Si Sacerdos ſit *in peccato mortali*, & habuerit copiam confeſſarii, & non confitetur, graviter peccat, etiamſi conteratur: Nam ex Concilio Tridentino præcipitur ante Sacramenti perceptionem hominem in peccato debere eſſe in gratia per Sacramentalem Confeſſionem, ſi Confeſſarius commode haberi poterit *ſeſſ. 13. cap. 7.* ſed ſi Sacerdos velit confiteri, antequam ſe ſacris veſtibus induat, confiteatur,

Septimò: Si Sacerdos in peccato mortali exiſtens, nec habens copiam Confeſſarii, abſque contritione celebret, peccat graviter, quia in defectu Confeſſionis adeſt præceptum contritionis: ſed finita Miſſa, debet quamprimum capta opportunitate confiteri.

Octavò: Si Sacerdos dum celebrat, poſt conſecrationem recordetur ſe eſſe in peccato mortali, conteratur cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi; & finita Miſſa quamprimum habita copia confiteatur. No-

Nonò: Si Sacerdos ante conſecrationem in Miſſà recordetur ſe eſse in peccato, vel excommunicatum, ſuſpenſum, interdictum &c. Si timeatur ſcandalum conteratur, ut ſupra; ſi vero ſcandalum non adſit, Miſſam incœptam deſerere debet.

Ex dictis conſtat aliquas dari cauſas Sacerdotem in peccato mortali exiſtentem a Sacramentali Confeſſione excuſantes; & hæ duæ ſunt: *Urgens* nempe *neceſſitas*, & *deficientia Confeſſarii*: *ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. in fin.* quæ autem duæ cauſæ unitæ reperiri debent.

Gravis autem *neceſſitas* ad hæc tria præcipuè capita reducitur, ſcilicet: ad *inſtans mortis periculum*. Ad *metum caden. in vir. coſtant.* Ad *periculum ſcandali*, *vel gravis infamiæ*.

Dixi ad *inſtans mortis periculum*; ut ſi aderit periculum mortis, vel ipſius Sacerdotis, vel alterius; poterit Sacerdos Confeſſione Sacramentali non præmiſſà ſe communicare, vel Miſſam celebrare, ut alium morti proximum communicet.

Ad *metum in vivum conſtantem cadentem*, utſi aliquis diſtricto ferro Sacerdoti minaretur, ni celebret vel communicet, mortem; quia eſt inſtans mortis periculum: (Dummodo tamen non fit religionis contemptus, pro qua mori potiùs deberet Sacerdos, quam celebrare); excuſatur.

Ad *periculum ſcandali, vel gravis infa-*

miæ

miæ ni celebret, per quod ſequeretur damnum ſpirituale; quippe ſicdaret anſam aliis temere de illo judicandi, illumque infamandi. In his tribus caſibus non habita Confeſſarii copia poteſt Sacerdos contritus celebrare.

§. TERTIUS,

De defectibus diſpoſitionis Corporis.

SEquitur, ut defectus, qui ex corporis diſpoſitione oriri poſſint, videamus; qui quidem plures ſunt, & quidem.

Primò: Si Sacerdos *non fuerit a media nocte jejunus* jejunio naturali illicitè celebrat, quia operatur contra prohibitionem gravem Eccleſiæ in re gravi.

Secuudò: Si Sacerdos *poſt mediam noctem ſumpſerit potum, vel cibum* vel medicinam, vel aliquid aliud per modum cibi, & potus, etiam in minima quantitate, & celebret, peccat graviter, ut ſupra; quippe non eſt naturaliter jejunus. Nam *jejunium* naturale *conſiſtit in totali abſtinentia cibi, vel potus; vel alterius per modum cibi vel potus*; ita Moraliſtæ.

Tertiò: Si Sacerdos *ante mediam noctem potum, vel cibum ſumpſerit, & non dormiverit*, nec propterea cibus fuerit digeſtus; huic Rubrica conſulit ob mentis perturbationem, quæ pluries devotionem tollit, aliquando abſtinendum; quamvis ſi celebret validè, & licitè celebrat.

Quar-

Quartò: Si Sacerdos *ante mediam noctem ſaccarum in ore poſuerit*, ut paulatim liquefiat, & dein dormierit; cum in dubiis melior ſit conditio poſidentis, & poſſeſſio in caſu ſtat pro præcepto, illi conſulerem quod abſtineret a celebratione Miſſæ: niſi ex parva ſaccari quantitate, & ex longo tempore ante mediam nocte elapſo prudenter coniiceret Sacerdos jam multò ante mediam noctem fuiſſe liquefactum.

Quintò: Si Sacerdos plures Miſſas celebraturus erit, *& in prima ſe purificat*, ſequentes celebrare nequit, quia jam fregit jejunium: *vide Rub. diei Nativitatis*.

Sextò: Si Sacerdoti in ſomnis acciderit pollutio nocturna ſecnndum ſe, ideſt ex naturali cauſa, vel ex diabolica illuſione, abſque eo quod ullam ante ſomnum habuerit peccaminoſam cogitationem; ſi remanet adhuc mente perturbatus, huic Rubrica abſtinendum conſulit: ſic etiam ſi ipſe per præviam cogitationem, vel propter nimiam crapulam paſſus eſt nocturnam pollutionem, debet etiam abſtinere, quia ipſe propter illa dedit cauſam pollutioni.

Septimò: Si Sacerdos fuerit dubius an cogitatio, quæ pollutionem præceſſerit fuerit peccaminoſa, & non aderit caſus neceſſitatis; Rubrica conſulit abſtinendum: ſi vero Sacerdos reliquias cibi in ore remanentes deglutiat, vel os lavando aut nares aliquam aquæ gut-

guttam deglutiverit, cum illæ non per modum cibi, & hæc nec per modum potus deglutiatur; poterit licitè Miſſam celebrare.

CAPUT SECUNDUM.

De defectibus materiæ, & formæ.

ENumeratis jam defectibus, qui ex Miniſtri indiſpoſitione ex parte intentionis; animæ vel corporis oriri poſſent, ad illos, qui ex materiæ ineptitudine, formæque nullitate proveniunt enumerandos, deſcendamus.

§. PRIMUS.

De defectibus materiæ primæ ſpeciei.

PRimæ ſpeciei materia panis eſt, qui, ut ſit propria, aptaque materia debet eſſe, de neceſſe triticeus, ideſt: *Maſſa quædam ex farina triticea, & aqua naturali conglutinata, & igne cocta*: hinc.

Primo: *Panis non triticeus*, vel triticeus habens admixta grana alterius generis, ſed in tanta quantitate, ut panis ille communi prudentum judicio non poſſit panis triticeus vocari; eſt materia inepta.

Secundò: *Panis jam corruptus* eſt materia inepta; nam ille non poteſt amplius dici panis uſualis.

Tertiò: Si *panis cæperit corrumpi* eſt materia apta: licet Sacerdos illum conſecrans peccet graviter, quia irreverantiam infert Sacramento.

Quartò: Si latinus Sacerdos contra morem Eccleſiæ latinæ in fermentato conſecret, peccat graviter, quia adeſt prohibitio facta latinis, ne in fermentato conſecrent; ſed validè conſecrat.

Quintò: Si *panis ex aqua roſacea*, vel alterius diſtillationis fuerit conglutinatus, eſt materia dubia; propterea hac materia, cogente proximi neceſſitate, Sacerdos uti poteſt.

Sextò: *Panis confectus ex leguminibus* ut ſunt fabæ: vel ex fructibus arborum, ut ſunt caſtaneæ, eſt materia invalida; quia non eſt panis triticeus uſualis: ſit diſcurres de pane confecto ex farre, avena, hordeo, piſis, lentibus, amygdalis, & ſimilibus.

Septimò: *Panis ex ſiligine* confectus eſt materia dubia, nam ſiligo ſecundum aliquos non differt ſpecie a tritico, & ſecundum alios invalida: in utroque caſu non eſt materia conſecranda, quia dubia.

Octavò: *Triticum non redactum in farinam* aqua conglntinatum non eſt materia valida; quia non eſt panis uſualis.

Nonò: *Farina cocta, ſed non conglutinata aqua*, vel farina conglutinata aqua, & non cocta, non eſt materia valida primæ ſpeciei, quia non eſt panis uſualis; quamvis panis biſco-

ſcoctus ſit materia valida, quia illa bina coctio non facit, quod non remaneat panis uſualis.

Decimò: Panis confectus *ex furfure tritici* non eſt materia valida, quia licet alicubi propter pænuriam, & a pauperibus manducetur, tamen non eſt panis uſualis.

Undecimo: *Farina, butiro, lacte*, vel alio liquore conglutinata non eſt materia valida, quia non eſt panis uſualis.

Hoſtia rubra cum cinabrio confecta, qua utimur in ſigillis, eſt materia dubia: de hac diſcurre ſecundum regulam mixtionis.

Regula autem generalis eſt pro quacumque mixtione: ſi quantitas rei, quæ alteri miſcetur eſt notabilis, ità ut res deperdat priſtinam denominationem, ſumendo illam mixtæ, tunc deperdit etiam ſubſtantiam; ſi verò mixtio non eſt notabilis; res, cui alia miſcetur ſuam denominationem, eſſentiamque non deperdit, utſi magnæ quantitati vini paululum aquæ miſceretur ſemper dicitur vinum, & eſt vinum: applica ad ſupradicta. Quid autem faciendum eſt Sacerdoti ſi aliquem ex dictis defectibus, vel alium adverterit in ſacrificio? Sic ſe gerat.

Primò. Si celebrans ante conſecrationem adverterit hoſtiam vel non eſſe triticeam, vel eſſe corruptam, aliam tenetur ſumere, & facta priùs oblatione mentali abſque ullo ſigno, incipit ab illis verbis: *Qui pridie*, etſi aliam habere non poſſit, Sacrificium

omittat; ſi tamen hoſtiam habere poſſit, ſed cum magno ſcandalo, illam nihilominus habeat, quia propriè hoc non eſt ſcandalum ex intentione & per ſe, ſed per accidens.

Secundò. Si Sacerdos poſt conſecrationem hoſtiæ adverterit hoſtiam fuiſſe materiam invalidam, aliam ſumat, illamque ut ſupra offert, & ab iiſdem verbis, ut ſupra incipit; & dein primam hoſtiam ob reverentiam ipſemet ſumat immediatè poſt ſanguinem.

Tertiò. Si Sacerdos poſt ſumptionem hoſtiæ adverterit ex ſapore hoſtiam non fuiſſe materiam aptam, & per conſequens nec fuiſſe conſecratam; tenetur etiam aliam apponere, ut ſupra, & ſumere, quamvis jejunium jam fregerit: quia licet ex præcepto Eccleſiæ Sacerdos debeat jejunus Euchariſtiam ſumere, tamen datur præceptum divinum de perficiendo Sacrificio, cui Eccleſiæ præceptum cedere debet.

Quartò. Si Sacerdos poſt ſumptionem Sanguinis adverterit primam hoſtiam fuiſſe invalidam: illi conſulerem, ut utramque de novo conſecraret incipiendo ut ſupra; quibus conſecratis ſtatim illam ſumat, Miſſamque proſequatur. Ratio quæ movet eſt quia in cruento Crucis Sacrificio ſimul erant corpus & ſanguis; propterea in incruento Miſſæ Sacrificio, quod eſt cruenti figura ſint ſimul in Altari corpus Chriſti & ſanguis.

Quin-

Quintò. Si hoſtia caſu aliquo ab Altari diſpareat, debet Sacerdos alteram conſecrare incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie*; ut ſupra.

§. SECUNDUS.

De defectibus ſecundæ ſpeciei.

SEcundæ ſpeciei materia eſt: *Vinum de vite, ſeu ex uva matura extractum, ſive album, ſive nigrum*; color enim accidentalis eſt, nec ſubſtantiam mutat: etiamſi ſint plura vina mixta, quia ſemper dicuntur vinum de vite: cui de præcepto Eccleſiæ admiſcenda venit aliqua parva aquæ quantitas. Propterea ſi aliud fuerit vinum non eſt materia apta hinc.

Primò: Aqua communiter dicta *Vitæ* eſt materia invalida, quia non venit nomine vini, licet ſit calidior.

Secundò: *Agreſta*, ſeu ſuccus ex uvis acerbis extractus eſt materia invalida; quippe non eſt vinum.

Tertiò: *Cæteri liquores* præter vinum de vite extractum ſunt materia invalida.

Quartò: *Succus uvæ adhuc intra uvas* contentus non eſt materia conſecrabilis, quia adhuc non eſt vinum, nec eſt materia potabilis, ſed comeſtibilis.

Quintò: *Vinum in pane imbibitum* non

eſt materia ſecundæ ſpeciei conſecrabilis, quia non eſt per modum potus.

Sextò: *Vinum coctum* eſt materia invalida, quia per coctionem tranſit in aliam ſpecie, nec venit nomine vini abſolutè.

Septimò: *Vinum muſtum*, ſeu non defacatum, ſeu ex uvis tunc expreſſis, vel quod cœpit aceſcere, vel corrumpi, vel aliquantulum acre eſt materia valida, ſed illicita.

Octavò: Si vino non fuerit admixta aqua naturalis, ut de præcepto Eccleſiæ miſceri debet, vel loco aquæ naturalis fuerit admixta aqua diſtillata eſt materia valida, ſed illicita.

Nonò: Si vinum fuerit *factum penitùs acetum* vel putridum, vel illi tantum aquæ fuerit admixtum, ut vinum corruptum evadat, eſt materia inepta, & invalida.

Decimò: *Succus ex uvis exſiccatis, & paſſis* extractus abſolutè non eſt materia conſecrabilis, quia non eſt vinum: quippe talis ſuccus extrahi non poteſt, niſi magna aquæ copia illi ſuperinfundatur.

Undecimò: *Vinum congelatum* eſt materia dubia; cum autem in materia Sacramentorum tenemur ſequi ſententiam tutiorem relicta probabili, propterea Sacerdos illud illicitè conſecraret.

Duodecimò: Vinum poſt congelationem *ſi fuerit vehemens congelatio*, ita ut vini ſubſtantiam corruperit, redditur materia invalida, quia am-

ampliùs vinum dici nequit, verum ſi congelatio non fuerit ita vehemens, ut vinum poſtea liquefactum vini ſubſtantiam retineat, eſt materia apta.

Decimotertiò: *Vinum miraculosè productum* eſt materia conſecrabilis, quia eſt ejuſdem naturæ cum vino ex vite extracto, quippe eſſet etiam vinum potabile: Nam Deus illud ejuſdem ſpeciei cum natura produceret. In quibus caſibus ſic Sacerdos ſe gerere debebit, ſi adverterit defectum aliquem eveniſſe.

Primò: Si celebrans poſt conſecrationem corporis advertat ſe vel vinum, vel aquam vel neutram materiam in calicem appoſuiſſe, debet illam tunc apponere, mentalem oblationem facere, ut ſupra, ab illis incipiens verbis: *Simili modo*.

Secundò: Si celebrans poſtquam calicem conſecraverit, adverterit ſe ſolam aquam in calicem appoſuiſſe, debet illam aquam in aliquo vaſe deponere, & vinum cum aqua iterum ponat in calicem, mentaliter offert, & ab illis verbis incipit: *Simili modo &c.* Deinde propter reverentiam aquam illam ſumat poſt ſanguinem, vel in aliquo loco decenter ſervet.

Tertiò: Si poſt ſumptionem utriuſque ſpeciei adverterit in calicem fuiſſe ſolam appoſitam aquam, debet novam hoſtiam, & vinum cum aqua conſecrare incipiendo ab illis verbis: *qui pridie* facta priùs oblatione mentali,

tali, ut ſupra, ſtatimque conſecratione peracta utramque ſpeciem ſumere, licet jejunus non ſit: quamvis ſi ſit in loco publico, ubi ſcandalum facilè oriri poſſet ſecundam ſpeciem tantùm poſſet conſecrare, & ſumere.

Quartò: Si Sacerdos ante calicis conſecrationem adverterit in calice fuiſſe appoſitum ſolum vinum, tenetur ſub mortali aquam vino illi miſcere; nam datur præceptum Eccleſiæ de aqua vino miſcenda; & proſequitur verba conſecrationis. Si verò meminerit poſt conſecrationem, illam ponere non debet, quia non eſt de eſſentia.

Quintò: Si poſt conſecrationem vini adverterit vinum eſſe acetum, vel corruptum, vel alio modo ineptum, regulatur ſicut diximus *in num.* 11. *&* 111.

Sextò: Quid autem agere debet Sacerdos, ſi ante conſecrationem adverterit aliquam ex materiis eſſe invalidam, nec habuerit unde aliam ſumat? Miſſam omittat; ſi poſt conſecrationem corporis, aut ſanguinis poſſit haberi de facili materia deficiens, etiam aliquandiù expectando, illi expectandum erit, ut habeatur materia ne Sacrificium imperfectum relinquatur: ſi verò nequeat haberi, Miſſa eſt abſolvenda; ità ut tamen verba, & ſigna ad materiam deficientem ſpectantia, omittantur.

Hic notandum, ſi Sacerdos adverterit defectum vini in actu ſumptionis, & quidem illud

illud in ore habet, indecens eſt, illud in terram vel in lancem projicere; propterea hoc ſumat, novum conſecret. Verum ſi primis illud labiis adhuc deguſtaverit, poterit in vaſe aliquo, vel loco decenti conſervare, & deinpoſt utriuſque ſpeciei ſumptionem illud ſumere.

§. TERTIUS.

De Defectibus Formæ.

REſtat ut Formæ defectus inſpiciamus. Et quidem defectus, qui in Sacramentorum forma oriri poſſunt, tribus de cauſis evenire ſolent, ſcilicet vel per *Detractionem*, vel per *Adjunctionem*, vel per *Mutationem*.

Per *Detractionem* tunc oritur in forma defectus, quando aliquod ex eſſentialibus detrahitur, ut ſi quis diceret in conſecratione primæ ſpeciei: *Hoc eſt enim meum*, quia omitteret ly *corpus*, quod eſt eſſentiale in forma. Si tamen detrahitur aliquod ex accidentalibus forma eſſet valida, ſed illicita; ut ſi omitteretur, ly *enim*. Eſſentialia in utraque forma ſunt: in prima: *Hoc eſt corpus meum*. In ſecunda: *Hic eſt calix ſanguinis mei*. Ly *enim* in utraque forma, & ſequentia *novi & æterni &c.* in ſecunda forma ſunt accidentalia.

Per *Adjunctionem*, ſi ſcilicet addatur for-

formæ aliquod verbum mutans ſenſum formæ, quo caſu forma erit invalida, ſi vero adjunctum non mutaret niſi accidentaliter, forma eſſet valida, ſed illicita; & Sacerdos ex contemptu addens, peccat graviter.

Per *Mutationem*, ſi ſcilicet aliquod verbum mutaret Sacerdos, quod verborum ſignificationem variaret forma eſſet invalida; ſecus ſi non variaret, in quo caſu eſſet valida, ſed illicita. Hinc.

Primò. Si Sacerdos dicat: *Hìc eſt enim corpus meum* & ſumat li *hic* adverbaliter non conſecrat, quia ſenſus variatur. Si vero nominaliter pro *hoc* proferat ob ignorantiam *hic*; mutatio eſſet accidentalis, propterea non variat ſenſum, eritque valida conſecratio.

Secundò: Si Sacerdos dicat *Illud eſt corpus meum* non conſecrat, quia mutatio eſt ſubſtantialis, nam *illud* non eſt demonſtrativum rei præſentis, ſicut *hoc*.

Tertiò: Si Sacerdos dicat: *Iſtud eſt corpus meum* conſecrat quia *iſtud* eſt demonſtrativum rei præſentis, ſicut *hoc*: propterea mutatio eſt accidentalis.

Quartò: Si Sacerdos: diceret *ecce corpus meum* non conſecraret, quia forma conſecrationis debet ſignificare converſionem panis in corpus Chriſti in facto eſſe, quam converſionem dicta forma non explicat.

Quintò: Si Sacerdos diceret: *Hoc tranſit, tranſubſtantiatur in corpus Chriſti* invalide con-

conſecraret quia ſignificaret converſionem in fieri: ſic etiam ſi diceret *hoc fit corpus Chriſti*.

Sextò: Si Sacerdos diceret: *Hoc ſit corpus meum*, non conſecraret, quia forma non debet eſſe modo deprecativo, ſed demonſtrativo.

Septimò: Si Sacerdos diceret: *Hoc corpus meum*, non conſecraret, quia in forma debet ſignificari converſio actualis panis in corpus Chriſti, quæ ſignificatur per verbum ſubſtantivum *eſt*.

Octavò: Si Sacerdos diceret *Hæc eſt caro mea* & illicite, & invalide conſecraret; quia corpus ſignificat pluſquam caro; nam ſignificat oſſa nervos & alia, quæ non explicat *Caro*.

Nono: Si Sacerdos omitteret: *meum* invalida eſſet conſecratio, quia ly *corpus* cum ſit indifferens ad ſignificandum Chriſti Corpus vel aliud, debet neceſſariò determinari per ly *meum* ad denotandum Chriſti Corpus.

Decimò: Si Sacerdos diceret *Hoc eſt Corpus Chriſti*; illicitè conſecraret, ſed dicerem quod valide: quippe D. Th. habet *in 3. p. ſuæ vener. ſumm.* ubi de Euchariſtia agit. *conveniens eſt dicere corpus meum, quam Chriſti*: retlecte ad verba Angelici.

Undecimò: Si celebrans diceret: *Hic eſt ſanguis meus* validè conſecraret; quippe ipſe calicem non conſecrat, ſed vinum in calice contentum.

Duodecimò: Si celebrans non recorde-

tur

tur ſe protuliſſe formam ſupra aliquam materiam, non debet turbari, quia, ut notat Angelicus, qui multa dicit non ſemper recordatur omnium, quæ dixerit; ſi vero illi certò conſtat ſe aliquam formam omiſiſſe, ipſam formam & cætera per ordinem proſequatur. Si tandem valdè probabiliter dubitet ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſub conditione.

Tertiò Decimo: Si Sacerdos recordetur, & valdè probabiliter dubitet, ſe omiſiſſe illa, quæ non ſunt de neceſſitate, non reaſſumat, ſed ulterius procedat.

CAPUT TERTIUM.

De Defectibus in Miniſterio occurrentibus.

SUnt & alii defectus qui in ipſo occurrere poſſunt miniſterio, quos hic recenſendos perneceſſarium duco; de his in ſequentibus.

§. PRIMUS.

De Defectibus primi generis.

PRimi generis defectus ſunt: *Si aliquid ex requiſitis ad altare defecerit*: hinc.

Primò. Si Sacerdos ſciat locum, in quo ipſe celebraturus eſt, *non eſſe ſacrum, nec benedictum*, nec ab Epiſcopo deputatum, ſed prophanum: illicitè celebrat. Se-

Secundò: Si altare portatile vulgo *la Pietra Sacra*, erit *ligneum, vel lapideum non consecratum ab Episcopo* Diœcesis, vel ab alio de ejus licentia: si in illo clausæ non reperiantur reliquiæ Sanctorum, etiam Confessorum; quippe in uno portabili ligneo solus Summus Pontifex potest celebrare, & quidem super illo, super quo B. Petrus Apostolus persecutionum tempore in cryptis celebrabat, quod & in Later. Eccl. asservatur.

Tertio. Si totum altare non sit tribus mappis coopertum, vel saltem duabus, una earum duplicata, quarum superior sit tantum oblonga, ut ejus extremitates hinc inde usque ad terram pertingant; etsi mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio superiore de ejus licentia benedictæ.

Quartò: Si Altare non fuerit pallio coopertum coloris quo ad fieri potest diei festo, vel officio convenientis.

Quintò: Si in Altari *non fuerit crux* in medio posita etiam in illo, in quo fuerit Sacramentum expositum. Imo in altari SS. Crucifixi, quando crux altaris non erit separata a pariete vel tabula; nam si fuerit separata sufficit, nec alia erit apponenda. Vide *Dissert. 4. cap. unic. §. 4.*

Sextò: *Nisi adsint luminaria cerea*, quippe de præcepto in altari debent esse duo luminaria, & debent esse cerea, & non ex sævo vel oleo, nisi, secundum aliquos in necessitate.

Se-

Septimò : Si tempus non erit debitum celebrando, nam tempus debitum eſt ab Aurora uſque ad meridiem : licet Romæ etiam per unius horæ ſpatium a meridie celebrent.

§. SECUNDUS.

De Defectibus ſecundi generis.

SEcundi generis defectus ſunt circa Sacerdotum. *Si nempe Sacerdos aliquid faciendum ante Miſſæ celebrationem omiſerit*. Qui plures ſunt ; quorum.

Primus : Si Sacerdos matutinum ſaltem cum laudibus non recitaverit: circa quod ſi Rubrica conſulat, anne præcipiat, conſule DD. Melius quod celebret matutino ſaltem cum laudibus perſoluto.

Secundus : Si aliquid ex veſtibus Sacerdotalibus omiſerit ut *ſtolam vel manipulum* &c. vel ſi nihil omiſerit, verum induit veſtes ab Epiſcopo, vel ab alio habente facultatem non benedictas.

Tertius : Si *non adſit Miniſter*, qui illi in Miſſa inſerviat, (licet in caſu neceſſitatis Miſſam abſque miniſtro dicere poſſit) in omni autem caſu mulier numquam poteſt, nec ad unum verbum reſpondere, multò minus ampullas vitreas deferre, cum nullo modo ad altare accedere poſſit.

Quartus : Si calicem, & patenam non ha-

habuerit ſaltem *argentea*, *quo ad cuppam* modo, quo diximus.

Quintus: Si non adhibet *corporalia munda*, quæ debent eſſe ex lino, & non ex ſerico, nec in medio ornata; quæ ſint ab epiſcopo, vel ab alio habente conſimilem auctoritatem, benedicta.

Sextus: Si Sacerdos celebret *capite cooperto abſque diſpenſatione*: de quo lege, quæ alibi diximus.

Septimus: *Si miſſale non habuerit*, licet memoriter ſciat Miſſam, quam celebrare intendit; propter periculum lapſus memoriæ.

§. TERTIUS.

De defectibus tertii generis.

TErtii generis defectus evenire in miniſterio poſſunt, ſi quid *Sacrificii tempore in Eccleſia* evenerit; ut.

Primò: Si Eccleſia, Sacerdote celebrante, *violetur*; & quidem ſi ante Canonem, Miſſa dimittitur. Quæ violatio contingere poteſt per homicidium voluntarium, per ſanguinis effuſionem, vulnus, vel mutilationem; ſic, & per voluntariam ſeminis ejectionem, & tandem per ſepulturam infidelium, Paganorum, excomunicatorum jam denunciatorum; quæ omnes actiones Eccleſiam polluunt ſi fuerint publicæ, ſecus ſi occultæ.

Se-

Secundò ſi Eccleſia modo ſupradicto polluatur poſt Canonem, Sacrificium non dimittitur; quia licet quo ad partes eſſentiales non ſit moraliter inchoatum; tamen quia non agitur de irreverentia Sacramenti, ſed de prohibitione Eccleſiæ, canon dicitur moraliter inchoatus; propterea Miſſa eſt proſequenda.

Tertiò: Si *ante conſecrationem timeatur incurſus hoſtium*, alluvionis, ruinæ Eccleſiæ in qua celebratur: Miſſa deſeratur; quia cum agatur de magna Sacramenti irreverentia, magnoquæ vitæ periculo, Sacrificium in eo caſu etiam per Canonem incœptum, non dicitur moraliter inchoatum.

Quartò: Si poſt conſecrationem *aliquid accidat*: Miſſa non poteſt omitti, quia adeſt præceptum Divinum de complendo Sacrificio; ſed conſecrata ſecunda ſpecie utramque ſimul ſumat, & aliis omnibus de Canone omiſſis, diſcedat.

Quintò: Si Sacerdos conſecrata prima ſpecie, ſecundam non poterit abſque vitæ periculo conſecrare, ſi ſcilicet jam hoſtes propinquos habeat, vel ruinam jam jam imminere videat; ſecundam ſpeciem conſecrare tenetur etiam cum periculo vitæ.

§. QUARTUS.

De defectibus quarti generis.

QUarti generis defectus illi ſunt, qui evenire in miniſterio poſſunt; *ſi quid mali Sacerdoti celebranti eveniat*: ſcilicet.

Primò: Si Sacerdos ante conſecrationem, vel *graviter infirmetur*, *vel in ſyncopen inciderit*, *vel moriatur*: Miſſa eſt prætermittenda, nec ſane ab alio debet proſequi; quippe non eſt quo ad partes eſſentiales incæpta.

Secundò: Si poſt conſecrationem Corporis, vel utriuſque ſpeciei infirmetur, vel in ſincopen incidat: ſi poſt breve ſpatium in ſe redeat, eritque capax proſequendi, illam proſequatur. Si verò non fuerit capax, alius Sacerdos etiam non jejunus in caſu neceſſitatis illam proſequetur, incipiendo unde Sacerdos infirmus deſiit.

Tertiò: Si Sacerdos: *ſemiprolata forma Corporis infirmetur*, vel moriatur; Sacrificium non eſt per aliud complendum; quippe non eſt quo ad partes eſſentiales inchoatum: nam prolata ultima dictione perficitur.

Quartò: Si Sacerdos *ſemiprolata forma ſanguinis obierit*, Sacrificium eſt per alium Sacerdotem, etiam non jejunum perficiendum, incipiendo ab illis verbis *ſimili modo &c.* & dein hoſtiam ab alio Sacerdote, & calicem a ſe conſecratum ſumat.

§. QUINTUS.

De defectibus quinti generis.

QUinti generis defectus ſunt: *ſi aliquid hoſtiæ acciderit, ut illam celebrans conſecrare nequeat, vel ſi aliquid in calicem dilabitur, quod Sacerdotem excuſet, ne aliquam, vel neutram ſpeciem ſumat.* Defectus autem iſti, ſive caſus evenire poſſunt.

Primò: Si *hoſtia ante conſecrationem inveniatur fracta*; aliam ſumat, offerat, & conſecret, & primam hoſtiam fractam poſt ſanguinem ſumat: ſi fractio populo apparet propter ſcandalum; ſecus ſi non videtur.

Secundò: Si *hoſtia propter frigus*, vel *negligentiam in calicem dilabitur*, Sacerdos Miſſam proſequatur faciendo cæremonias, & ſigna conſueta cum reſidua hoſtiæ parte ſanguine non madefacta, ſi commode poſſit.

Tertiò: Si *tota hoſtia* fuerit ſanguine madefacta, illam non extrahat, ſed omnia dicat omittendo ſigna, & in ſumptione ſumat illam cum calice dicens: *Corpus & Sanguis &c.*

Quartò: Si *hoſtia conſecrata*, vel aliqua ejus pars *in terram dilabitur*, reverenter accipiatur; locus in quem ceciderit aqua mundetur, & aliquantulum abradatur, ejuſque lotio, & abraſio in ſacrarium proiciatur.

Quintò: Si *hoſtia ſupra mappam*, vel aliquod aliud linteum *ceciderit*; mappa, vel linteum

teum diligenter lavetur, ejuſque lotio in ſacrarium proiciatur.

Sextò; Si *aliquid venenatum hoſtiam attigerit* ſive ante, ſive poſt conſecrationem; reponatur illa hoſtia in tabernaculo in loco ſeparato, donec ſpecies corrumpantur; nam Corpus Chriſti panis eſt vitalis, & non læthalis *D. Thom. in ſequen.*

Septimò: Si ſumpto ſanguine aliqua pars in calice manſerit, illam digitis ſumat.

Octavò: Si *Sacerdos evomat Euchariſtiam*; ſi quidem ſpecies appareant integræ, niſi nauſea fiat, reverenter a vomitu ſeparentur, in aliquo loco ſacro reponuntur, donec corrumpantur; corruptæ dein comburantur, & combuſtio in ſacrarium proiciatur: ſi verò fiat nauſea, conſervatur vomitus in loco decenti, donec ſpecies corrumpantur, dein comburatur vomitus, & combuſtio in ſacrarium proiciatur: & ſi in vomitu ſpecies non videat, nihilominus vomitum conſervet.

Nono *Si muſca*, vel *aranea*, vel aliud animal *in calicem ante conſecrationem ceciderit*, novum vinum in calice ponat, primo in loco decenti projecto, offerat, & proſequatur, ut ſupra. Si vero *poſt conſecrationem*: Sacerdoti conſulerem, ut illam a calice extraheret, ac vino lavaret, finitaque Miſſa comburereret, & combuſtionem in ſacrarium proiceret.

Decimò: Si muſca, vel aliquod animal

tinctum ſanguine volet: Si Sacerdos poterit illud capere, puta: quia ſuper corporale exiſtat, illud capiat ut ſupra num. 11. ſin minus non eſt quærendum, quippe id eſſet cauſa irriſionis adſtantium contra majeſtatem, & gravitatem, quam deberet in tanto ſacrificio præſeferre Sacerdos.

Undecimo: Si aliquid *venenatum in calicem ceciderit*, vel provocans vomitum ante conſecrationem, vide quæ diximus *in num.* 10. ſi poſt; vinum reponendum eſt in alio calice, aliud denuo ponat, offerat, & conſecret, & finita Miſſa ſanguis reponatur in panno lineo, vel ſtupa, & tamdiù ibi ſervetur donec ſpecies exſiccentur, & tunc ſtupa comburatur, & combuſtio in ſacrarium proiciatur.

Duodecimo: Si in hyeme *ſanguis congeletur*, calix involvatur pannis calefactis, etſi id non ſufficiet, ponatur in ferventi aqua prope altare, dummodo aqua in calicem non intret, donec liquefiat.

Tertiodecimo: Si per negligentiam Sacerdotis aliquid *de Chriſti Sanguine* ſuper terram, vel tabulam *ceciderit*, illum Sacerdos lingua lambat, locus radatur, abraſio ſi fuerit tabulæ comburatur, & combuſtio in ſacrarium proiciatur.

Quartodecimo: *Si ſanguis ceciderit ſuper lapidem altaris* Sacerdos illum ſorbeat, locus abluatur (ſed non radatur, quia non eſt locus conculcationi expoſitus) & ablutio in ſacrarium proiciatur.

Quin-

Quintodecimo: *Si ſanguis ceciderit ſuper linteum altaris*, vel ſuper veſtes Sacerdotis, ſuper tapete pedibus ſubſtrato, abluatur ubi ſtilla ceciderit, & ablutio in ſacrarium proiciatur.

Sextodecimo: Si ſanguis *ſuper barba m ceciderit*, ter abluatur, & ablutio in ſacrarium proiciatur.

Decimoſeptimo: Si in altari reperiatur aliqua hoſtia, de qua dubitatur, an ſit conſecrata; ſumatur poſt ſanguinem.

DISSERTATIO X.

De Canonis explicatione.

EN accedimus ad præcipuum hujuſce operis ſcopum, ad ſacri nempe Canonis explicationem, quæ quantò ſit Sacerdotibus neceſſaria, nemo eſt qui non videat. Antequam autem Canonis explicationem aggrediamur, plura ſunt præcognoſcenda:

Et quidem primò: Cur in omnibus fere Miſſalibus Præfationem inter, & Canonem depicta affigi ſoleat Crucifixi imago? hujus rei rationem neminem latere exiſtimo; ad hoc ſcilicet, ut Sacerdos fortiùs moveatur ad cognoſcendum de paſſione Chriſti, cujus memoriale mox erit celebraturus, Eccleſia voluit, ut illi ejuſdem Crucifixi imago depicta

præfigeretur: quandoquidem fortiùs animos movent, quæ ſub oculis noſtris geruntur, quam quæ aure audimus.

Secundò: Conſideranda venit hujus vocis *Canon* ethimologia: & hæc firmam ſignificat regulam; quippe Miſſæ *Canon* eſt firma regula, & ritus obſervandus in conſecratione, & oblatione Sacrificii.

Hæc Miſſæ pars, quæ Canon audit, vocatur etiam *Actio*, quia in ea dominica Sacramenta aguntur, vel conficiuntur: A nonnullis *Myſterium ſanctiſſimæ actionis*: A pluribus *actio ſacri myſterii*. Ab aliis tandem Antonomaſticè *Oratio*, quia in ea petimus excellentiſſimum omnium donorum, nempe Chriſtum:

Tertiò: Canonis hujus Antiquitas inveſtiganda eſt; de qua, juxta ea, quæ docet *Trid. Synodus ſeſſ. 22. cap. 4.* dicendum: Canonem eſſe antiquiſſimæ Inſtitutionis: quippe de eo plures meminere Patres, qui circa annum 800. in quo vix cœperant venerari Confeſſores, ſed ſoli Martyres venerabantur; floruere. Hinc Vigilius Papa, qui Gregorio I. in Pontificatu præceſſerat, Canonem Miſſæ ex traditione Apoſtolica acceptare videtur; traditur enim, quod Gelaſius Papa a D. Petro LI. Canonem principaliter ordinavit. *Durand. in ſuo ration. divin. offic. lib. 4.* eſtque prior ſæculo 4. vide *Bened. XIV. in ſuis comm. de ſacrif. Miſſ. & Marten. lib. 1. de antiq. Eccl. ritibus cap. 4. art. 8. num. 3.*

Hu-

Hujus Canonis Auctor quinam fuerit, audi Tridentinum loco ſupra laudato: *Eccleſia Catholica, ut dignè reverenterque offerretur. ac perciperetur* (Sacrificium) *ſacrum Canonem multis ante ſæculis inſtituit.*

Quartò: Tandem, partes, in quas iſtæ Canon dividitur, conſiderandæ ſunt: & hæ ſunt ſex, ſcilicet: Prima, & eſt illa, quæ incipit ab illis verbis: *Te igitur*, uſque ad totum *Communicantes* incluſivè. Secunda eſt: *Hanc igitur oblationem.* Tertia: *Quam oblationem.* Quarta: *Unde & memores.* Quinta: *Memento &c.* Sexta tandem: *Nobis quoque peccatoribus*, uſque ad verba: *Per omnia ſæcula ſæculorum Amen.* Siquidem reliqua, quæ ſequuntur non veniunt nomine Canonis; nam in *fer. 6. in Paraſceve*, in qua totus omittitur Canon, quia omittitur conſecratio, Sacerdos incipit ab illis verbis: *Per omnia &c.*

CAPUT PRIMUM.

De Prima Canonis Parte.

PRima Canonis Pars, ut jam diximus ab illis incipit verbis: *Te igitur &c.* uſque ad totum *Communic.* incluſivè; de hac igitur in ſequentibus.

§. PRIMUS.

De Prima Oratione. Te igitur.

NUllum ſanè verbum in Canone eſt, quod myſteriis vacuum ſit, nosautem verborum omnium diffuſiſſimam explicationem tradere non valentes; verborum ordinem ſequendo, neceſſaria perſtringamus.

TE. Non abſque divina providentia factum multi arbitrantur, quod Canon inciperet a littera T, quæ ſua figura, Crucis figuram deſignat; quam enim figuram nos vocamus T, Hebræi vocant *Thau*; quemadmodum ergo ſignati *Thau* exempti fuere ab occiſione Angeli percutientis: *Ezech. 9. 6. omnem autem, ſuper quem videritis thau. ne occidatis*; ſic & ſignati T, ideſt Cruce Domini, a diaboli percuſſione liberantur.

IGITUR. Particula hæc illativa ſubſequentia aliquo modo præcedentibus nectit, & ſenſus eſt: quia tu, o *Pater clementiſſime*, cum Angelis noſtras voces, preceſque admiſiſti, ſicut te deprecati ſumus: *Igitur* iterum petimus te &c. Connectit propterea particula hæc Canonem cum præfatione.

PATER. Quamvis omnis oratio ab Eccleſia ad Trinitatem dirigatur, illa tamen conſuevit ſuas orationes ad Patrem per Filium dirigere. Verum aliquæ orationes, ut videre eſt in Miſſali, ad filium diriguntur, ſed

ſunt

ſunt pauciſſimæ, nulla tandem ad Spiritum Sanctum; quia Spiritus Sanctus donum eſt, & a dono non petitur donum. *Durand. lib. 4. cap. 15.*

CLEMENTISSIME. Eccleſia Patrem vocat clementiſſimum: uſu quippe receptum videtur, ut unusquiſque in ſuæ orationis exordio illum laudat, a quo aliquid eſt petiturus: cui etiam illos præcipuè tribuere ſolet titulos, qui maximè in gratiæ largitione ſplendent: Quò fit, ut illius animum moveat ad ſibi concedenda, quæ petit; cum autem in gratiarum elargitione *Clementia* eſt illa, quæ maxime reſplendeat; propterea meritò Eccleſia Patrem, a quo jam jam gratias eſt petitura, *Clementiſſimum* vocat.

PER JESUM. Quidquid Pater æternus nobis largitur, per *Jeſum* nobis donare decrevit; ut ipſemet Chriſtus *Joan. 16.* teſtatus eſt: *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, propterea Eccleſia id a Patre edocta, quidquid Patrem petit, per Chriſti merita petere ſolet.

Et quidem hic, cujus nomine petentibus, omnia Pater conceſſurum decrevit, *Jeſus*, qui interpretatur Salvator, vocatur: Hoc nomen ejus proprium eſt, non a parentibus excogitatum, nec ab hominibus impoſitum, ſed ab Angelo Joſeph in ſomnis prædictum. *Matth. 5. 21. Vocabis nomen ejus Jeſum: Ipſe enim* (en rationalem) *ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.*

CHRI-

CHRISTVM. Jesus hic dicitur *Christus*; quod non est proprium, sed appellativum ipsius nomen, dignitatem ejus Regiam, Sacerdotalem designans: Christus enim interpretatur *unctus*, hinc *Chrisma* græcè, latinè *unctionem* sonat: & quidem ii Reges unguntur, & olim ungebantur, ut legitur de Davide, de quo 2. *Reg.* 2. dicitur: *quod venerunt viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda*; cum Jesus verè fuerit ab æterno constitutus a Patre Rex super Sion: *montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus. Psalm.* 2. merito oleo gratiæ ungitur, & Christus seu unctus vocatur.

Præterea si Sacerdotes oleo ungebantur, sicut *Exodi* 29. legitur, ibi: *& oleum unctionis fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur*. Spiritali oleo, de quo supra, ungi Jesum, ut Sacerdotem, conveniens erat, de quo Psalm. 509. *Tu es Sacerdos in æternum* ..... & hoc est quod de eo per Psalmistam dicitur, *Psalm.* 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ &c.*

FILIVM TVVM. Jesus Christus est Filius Patris non quidem adoptivus, & per gratiam, quales nos sumus ex summa ejus misericordia, & charitate; quam quidem *potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; dedit. Ex Joan.* 5. Sed naturalis; nec per creationem factus, sed per æternam genera-

tio-

tionem genitus, ejuſdemque ſubſtantiæ cum Patre: hinc Eccl. canit in Symb. *Genitum non factum, conſubſtantialem Patri.* Æqualis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem, *D. Athan. in Symb.* Deus verus a Deo vero procedens, in omnibus, & per omnia Patri æqualis. Deus ſimul & homo, ſed unus Chriſtus: verum de his Theologi.

DOMINUM NOSTRUM. Hic Jeſus, qui filius eſt Patris, eſt etiam Dominus noſter: & quidem ut Deus, & ut homo. Chriſtus ut Deus eſt noſter Dominus per creationem, & conſervationem; per creationem quia ipſe nos creavit. Hinc Deus, ut creator, Dominus vocatur. *Deutor. 32. Oblitus eſt Domini creatoris tui*, per conſervationem quatenus nos omnes, omniaque nobis creata conſervat, ne pereant. Ut homo eſt etiam noſter Dominus, quia nos redemit, ac liberavit: quippe *Auguſ. in Pſalm 63. v. 7.* ait: *ſed ſi non eſſet* [Chriſtus ſcilicet) *homo, non liberaretur homo.* Et tandem Dominus eſt præcipuè omnium Chriſtianorum, qui illi fideliter ſerviunt.

SUPPLICES. Nos ergo, ſcilicet ego, & populus adſtans, ſeu Eccleſia, cujus apud te legatione fungor: *SUPPLICES*, quia id noſtris meritis obtinere nequaquam confidimus. *SUPPLICES* certè accedimus, quandoquidem ſcimus, quod tu: *ſuperbis reſiſtis, humilibus autem gratiam conferre ſoles.* Ex *Jacob. 4.* RO-

ROGAMUS, AC PETIMUS. Hæc primum Hæreticorum ille iniquiſſimus Canonis verba carpit Lutherus, ut ſuam, qua Canonem a verboſo quodam homine fuiſſe compoſitum ſuſtinet, ſententiam adſtruat. Quid enim, ſic nobis petulantiſſimus inſultat; ad petitionem indicandam ſynonimis eſſet opus verbis? verum ſciat.

Primò, quod geminata poſtulatio ſemper eſt efficacior, & facilius obtinet cùm apud Deum, tùm & apud homines.

Secundò, quod diverſum verba hæc *ROGAMUS, AC PETIMUS* ſignificatum ſortiuntur: quippe *rogare* eſt humiliter petere & cum aliqua diffidentia; *petere* vero eſt confidenter poſtulare. Primum ad ſervos, ſecundum ad filios pertinet: & quia Chriſtianus, ut Dei ſervus Deum rogare debet de ſuis meritis non præſumens, & ut filius poſtulare a Deo Patre confidenter, quo fit, ut id, quod petit, obtineat; ideo merito ponitur: *ROGAMUS, AC PETIMUS.*

UTI; pro *ut* ponitur: *ACCEPTA HABEAS*, ideſt acceptes, materiam, ſcilicet conſecrandam; & ſenſus eſt: nos o Domine materiam tibi conſecrandam obtulimus, tu illam acceptare non teneris, propterea nos *SUPPLICES ROGAMUS, AC PETIMUS TE*, ut illam acceptes.

ET BENEDICAS. Ideſt poſtquam acceptaveris, benedicas, ſeu conſecres: quibus

bus verbis non petit Sacerdos a Deo abſolutè acceptationem, & benedictionem, quia conſecratio eſt infallibilis, & infallibili lege promiſſa formæ, & characteri Sacerdotis: ſed ut fiat fructuoſa, ut infra dicemus ad illa verba, *UT CORPUS ET SANGUIS FIAT &c.*

HÆC DONA &c. Panis, & vinum, quæ ſunt materia jam Deo oblata, & a Sacerdote conſecranda, diverſimode, ſecundum diverſam illorum conſiderationem nuncupantur, ſcilicet: *DONA, MUNERA, & SACRIFICIA.*

Donum illud dicitur, quod a Superiori inferioribus datur, de quo *Jacob. 1. . . . omne donum perfectum deſurſum eſt.* Munus, quod ab inferioribus Superiori offertur. De quo *Pſalm. 75. Vovete & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.* Sacrificium tandem illud eſt, quod Deo uti Creatori offertur; De quo *Pſalm. 49. Immola Deo ſacrificium laudis.*

Igitur quatenus panis & vinum nobis tribuuntur a Deo, vocatur *DONA*: quatenus hæc iterum Deo offerimus, vocantur *MUNERA*: in quantum tandem ſunt materiæ ad ſacrificium deſtinatæ, *SACRIFICIA* vocantur. *Rubert. de divin. off. lib. 2. cap. 3.*

Quæ ſacrificia *SANCTA* vocantur, quia cum jam ſint Deo oblata, & ſanctificanda per tranſubſtantationem in Sacroſanctum Corpus & Sanguinem Chriſti, qui natura ſanctus eſt; jure *ſancta* dicuntur.

Et

Et tandem *ILLIBATA* etiam vocantur ideſt immaculata, ſeù ſine labe propter eandem rationem, quia nempe ſunt Deo oblata, & ad differentiam prophani, quod abſque ulla labe eſſe non poſſit.

IN PRIMIS, ideſt primò; nam bonum commune bono privato eſt anteponendum, propterea bonum publicum Eccleſiæ eſt anteponendum bono privato Sacerdotis, & illius pro quo Sacerdos offerre intendit.

QUÆ; Sacrificia ſcilicet panem, & vinum *OFFERIMUS*, ut materiam illius Sacrificii quod peracturi ſumus; *TIBI* Deo Patri omnipotenti, totique Trinitati, uti noſtrum omnium primo principio, & ultimo fini.

Et quidem hic Sacerdos meminit fructus Generaliſſimi; pro cujus perfecta cognitione.

Sciendum. quod triplex eſt Sacrificii fructus nempe; *Generaliſſimus*, *Medius*, & *Specialiſſimus*. Fructus *Generaliſſimus* eſt deſtinatus pro tota Eccleſia tùm militante, cùm purgante, omneſque ex iſto participant juxta majorem vel minorem diſpoſitionem, quam exiſtentes in via habuerunt, vel habent; eſt etiam impetratorius, & ſatisfactorius pro Defunctis; & pro viventibus eſt impetratorius, ſatisfactorius, & inſuper propitiatorius ex opere operato. Hic fructus non requirit applicationem ſpecialem Sacerdotis, quia Eccleſia intendit illum conferre ſuis membris. Fru-

Fructus *Medius*, ſeu ſpecialis eſt de quo ſupra, ſcilicet pro viventibus propitiatorius, imperatorius, & ſatisfactorius: pro defunctis impetratorius, & ſatisfactorius tantum; ſed ſemper ex opere operato; & ex iſto participant illi, pro quibus ratione ſtipendii, vel alia de cauſa intendit Sacrificium applicare Sacerdos, (ante conſecrationem, & non poſt applicet; aliter remanet in Theſauro Eccleſiæ).

Fructus *ſpecialiſſimus* eſt fructus correſpondens Sacerdoti celebranti, qui eſt omnium maximus, & confertur Sacerdoti celebranti juxta ejus diſpoſitionem. Hic non indiget applicatione, quia jam ab ipſa Eccleſia eſt deſtinatus Sacerdoti: & tandem hunc alteri poteſt applicare Sacerdos, dummodo pro illo ſtipendium non ſumat,

PRO ECCLESIA. Fructus Generaliſſimus offertur primò pro tota Eccleſia in communi, quippe ex jam dictis bonum commune particulari præferri debet.

Eccleſia in præſenti triplicem ſtatum habet, *Triumphantis*, ſcilicet, *Militantis*, & *Purgantis*.

Status Eccleſiæ *Triumphantis*, ſeu Eccleſia triumphans eſt ſtatus termini, in quo homines jam vident Deum, ſunt confirmati in bono, & non poſſunt damnari.

Status *Purgantis*, ſeu Eccleſia purgans illa eſt, in qua homines ſunt jam confirmati in bono, ideſt in ſpe certa beatitudinis, ſed luunt pœnas peccatis debitas. Sta-

Status *Militantis* tandem ille eſt, in quo homines ſunt capaces beatitudinis, & damnationis, & per ſuas operationes merentur, & demerentur.

Status *Eccleſiæ triumphantis* vocatur Eccleſia triumphans: quia in illo jam beatifica viſione fruuntur Sancti, qui jam de diabolo victoriam reportarunt, juxta illud *Apoc.* 21. *qui vicerit poſſidebit hæc*: & hi noſtris non indigent ſuffragiis, ſed nos interceſſione indigemus illorum.

Status *Eccleſiæ purgantis* vocatur Eccleſia purgans propter dicta; opus enim habent animæ debito adhuc pœnæ noxiæ, pro illis divinæ juſtitiæ ſatisfacere, ut valeant dein plenè purgatæ in paradiſum introire: & hæc ſuffragiis indiget, ut poſſit a pœnis liberari; hinc 2. Machab. 12. *Dicitur ſancta, ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.*

Status *Eccleſiæ militantis* dicitur Eccleſia militans, & ſunt homines adhuc viventes, qui continuo militant cum mundo, carne, & diabolo: de quibus per Job dicitur: *Militia eſt vita hominis ſuper terram. cap.* 7.

De hac una Eccleſia in præſenti loquimur, cùm hic pro iſta tantum orare intendit Sacerdos.

Quæ Eccleſia militans eſt: *Societas fidelium conjuncta profeſſione ejuſdem fidei, & communicatione eorumdem Sacramentorum.*

ſub

ſub regimine legitimorum paſtorum, & præcipuè ſummi Pontificis.

TVA, Dei dicitur Eccleſia, quia Deus eſt Auctor illius principalis. *TVA*, quam factus homo tuo ſanguine redemiſti, quam immaculatam abſque ruga, & macula Æterno Patri exhibuiſti, quam fide deſponſaſti, quam tot Sacramentis confirmaſti: pro hac igitur Eccleſia, te rogamus.

SANCTA, Eccleſia hæc Chriſti *ſancta* vocatur, & eſt, licet in ea, quam plures reperiantur peccatores, & reprobi; & quidem eſt *ſancta*, primo propter ſanctitatem *Auctoris*, nempe Dei, qui omnis eſt fons ſanctitatis: Secundo ſanctitate *capitis*, & *ſponſi*, nempe Chriſti, qui eſt Sanctus Sanctorum, de quo ad *Hebræ.7.* dicitur: *talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex ſanctus* . . . . Tertiò ſanctitate *Rectoris*, nempè Spiritus Sancti, qui totam regit Eccleſiam, qui & Sanctus eſt, ut ejus nomen demonſtrat. Quartò, ſanctitate *vocationis*, quia vocata eſt ad ſanctitatem: *Elegit nos, ut eſſemus ſancti*, *ad Eph.1.* Quintò, ſanctitate *profeſſionis*, quia ſanctam profitetur fidem: Sextò tandem ſanctitate *vocatorum*, & in gratia exiſtentium.

CATHOLICA. Dicitur Eccleſia, ideſt *Univerſalis*, & verè dici poteſt, quia jam ad uſque mundi fines diffuſa eſt, quod per Prophetam Æternus Pater Filio in carne venturo promiſerat, dicens: *Poſtula a me, & dabo*

tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Pſalm.2.

Et quidem primò eſt Catholica, ratione *fidei*, nam Eccleſiæ fides eſt univerſaliter vera, nihilque erroris, aut falſitatis eſt illi admixtum.

Secundò, eſt Catholica, ratione *loci*, quippe eſt omnibus gentibus deſtinata, juxta illud *Math. ult. Euntes docete omnes gentes*. Et quidem ad omnes Mundi partes noſtræ fidei prædicatio pervenit, quod & per Prophet. *Pſalm.18.* prædictum fuerat: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Tertiò, eſt Catholica, ratione *temporis*; nam Eccleſia incæpit ab Abel juſto, & ad ultimum uſque durabit electum. Omnes enim quotquot ſalvati ſunt per fidem in Chriſtum venturum ſalvabantur; ſicut nos per fidem in illum jam paſſum, de qua ideò per Prophetam dicitur, *Pſalm.76. Memor eſto congregationis tuæ, quam poſſedisti ab initio.*

QUAM, Eccleſiam ſcilicet, pretioſo tuo ſanguine redemptam *Digneris*: petimus, ut ex tua dignatione nobis concedas; id, quod rogamus.

PACIFICARE: ut Eccleſiæ pacem tribuas, & quidem ab hoſtibus viſibilibus: hæreticis, ſchiſmaticis, & infidelibus, ne conculcetur; Et ab inviſibilibus, nempe dæmonibus, ne polluatur.

CU-

CUSTODIRE in pace; niſi enim illam Dominus cuſtodiat in vanum laborat, qui cuſtodire illam nititur, quod & per Pſaltem dicitur: *Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem*, ſcilicet Eccleſiam, *fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam, Pſalm.126.*

ADUNARE: ne ſcilicet hæreſibus, & ſchiſmatis dividatur, quæ unionem hanc omni niſu ſolvere conantur. *Adunare* inſuper ex omnibus Mundi partibus, adducendo illas oves, quæ licet non ſint adhuc ex tuo ovili, tamen audiendo tuam vocem, qua illas ad tuam fidem vocare digneris; tuæ evadent; ſicque Eccleſia, *fiet unum ovile, & unus Paſtor. Joan.16.*

REGERE in ſuis Conciliis, Decretis, & aliis, ne ullo errore decipiatur, ſed tuo ſemper moderamine regatur; quippe huic Chriſtus migraturus ad Patrem Spiritum Sanctum Rectorem, ac Gubernatorem promiſit. *Joan. 14. Paraclitus autem Spiritus Sanctus .... vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.*

TOTO ORBE TERRARUM. Ut nempe Eccleſia, quæ a Deo deſtinata fuit, ut eſſet Catholica, ſeu Univerſalis, ſuum ſortiretur effectum, perque totum diffunderetur orbem, infidelibus ac hæreticis ad veræ fidei lumen, adque ſuos cognoſcendos errores; convocatis.

UNA &c. Oravit jam Sacerdos pro

Eccleſia in generali, incipit mox pro illa in particulari orare, ſeu pro membris; & quidem primò pro Summo Pontifice, qui eſt in Eccleſia caput viſibile, ſupremuſque Paſtor.

Dixi: Caput viſibile, ſeu melius Capitis Vicarius: ſiquidem Eccleſia myſticum eſt quoddam corpus. Ad *Eph.* 1. *Quæ*, nempe Eccleſia, *eſt corpus ipſius*, nempe Chriſti: corporis autem hujus caput inviſibile eſt Chriſtus ad *Eph.* 5. *Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ*, hunc enim Deus Pater *dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam*, *ad Eph.* 1. Vicarius autem hujus Capitis eſt Summus Pontifex, ſed non ſucceſſor Chriſti, bene vero Petri: propterea Eccleſia pro membris oratura, merito primo pro Summo Pontifice petit, dicens:

VNA ideſt ſimul, vel pariter, ita ut ſenſus fiat: ſicut jam te oravimus pro Eccleſia in generali, ita pariter pro membris ſingulis te rogamus, & primo pro Summo Pontifice.

Summus Pontifex licet ſit Eccleſiæ viſibile caput, non alio, tamen quam *famuli* vel ſervi, imo *ſervorum Dei ſervi*, ut in ſuis bullis videre eſt, titulo gloriatur; Apoſtolum fortaſſe imitando, qui in ſuis Epiſtolis titulum hunc, ut præcipui ſignum honoris præferebat: & ideo Summum Pontificem Eccleſia *Famuli* Dei honore proſequitur, dicens: *Una cum famulo tuo*.

Et quidem pro ipſo orat, ut det illi pacem, illumque a peccatis, & erroribus cuſtodiat,

diat, ac conſervet, Eccleſiamque fideliter regat.

Nomen hoc *PAPA* in ſacris paginis minime invenitur, ſed deſumptum creditur ex interjectione hac *Papè*, quæ admirationis eſt: hinc eſt, quod nomen hoc antiquitus illis tribuebatur, qui vitæ ſanctitate & doctrina erant excellentiores: & propterea Hieronymus ad Auguſtinum ſcribens, nomen illi Papæ tribuit: *Beatiſſimo Papæ Auguſtino*; ob quam rationem id nomen Summis Pontificibus tributum fuiſſe autumant *AA*.

Alii vero meliùs docent, quod in antiquiſſimis Miſſalibus nomen Papæ ſic ſcribebatur: *Pa. Pa. N.* ideſt *Patre Patrum*: talis enim erat modus abbreviandi apud Romanos; imo una tantum littera: ut *P. P.* ideſt *Pater Patriæ*, vel *Pater Patratus*: ut videre eſt apud *Nieuport. de ritibus Rom.* deinde Impreſſorum negligentia fuere conjuncta: *Papa*, quod nomen in præſentiarum uni Summo Pontifici congruit. De magnificis Papæ titulis ab Antiquis ei attributis, legatur eruditiſs. *Ignatius Bravius in libro ejuſd. tit.*

N. Hæc litterula Papæ nomen indicat proferendum, ad quod Sacerdos, ut diximus, caput libro inclinat.

Et *ANTISTITE*. Secundo loco orat Sacerdos pro Antiſtite ſuo, ideſt Epiſcopo; & quidem orare debet pro Epiſcopo illius Diœceſis, in qua celebrat, & non Diœceſis celebrantis.

Si Sacerdos fuerit Regularis, etiam S. Joannis Hieroſolim. debet nominare Epiſcopum Diœceſis, in qua celebrat, ut in Melita Epiſcopum Melitenſem; quippe iſte eſt Epiſcopus & totius Inſulæ Melitæ Ordinarius.

Hinc habes, quare verba prædicta a celebrantibus Romæ ommittuntur, quia Romanus Antiſtes eſt SS. Pontifex, pro quo jam Sacerdos illis verbis oravit: *Una cum famulo tuo &c.*

In locis exemptis, ubi eſt Abbas, non poteſt hic in canone nominari: nec addi poteſt Nomen Regis vel Imperatoris, niſi in illis regionibus, quæ hujuſmodi habent privilegia; & ubi tale extat privilegium, peregrini ibi exiſtentes tenentur illum nominare, quia privilegium locale eſt.

Littera N. ſicut ſupra diximus, denotat ibi nomen Epiſcopi eſſe proferendum.

Et *OMNIBUS*. Orat tertiò pro omnibus orthodoxis, ideſt Catholicis, ſeu rectam habentibus opinionem; quippe ſicut *Heterodoxi* dicuntur Hæretici a vocibus græcis *hetero*, & *doxa*, quæ *malam opinionem* deſignant, quia hi malam, & diverſam a fide opinionem habent; ſic è contra Catholici quia rectam, & veræ fidei conſonam opinionem tenent, dicuntur *Orthodoxi* a vocibus græcis *ortho* & *doxa*, quæ veram rectamque opinionem ſonant.

ATQUE CATHOLICÆ. Verba hæc ſequentia non ſunt ſuperflua, ut male putant hæretici, ſed fuere ad majorem antecedentium

tium explicationem posita: quandoquidem Ecclesia orat pro Orthodoxis illis, qui sunt cultores, fidei Catholicæ, seu universalis *ET APOSTOLICÆ* idest ab Apostolis traditæ & non aliter.

§. SECUNDUS.

De secunda primæ partis oratione: Memento Domine.

MEMENTO DOMINE. Verbum hoc *memento*, idest recordare, non est Deo injuriosum, ut illud sugillant hæretici; quandoquidem in pluribus Sacræ Scripturæ locis legitur: *Psal.* 131. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus: memento quæso &c.* Nam his verbis non intendit Ecclesia Deum ad memoriam præteritorum excitare, quia nihil obliscitur Deus, cujus, *omnia nuda sunt & aperta oculis*: *ad Hebr.* 4. sed Deus metaphoricè recordari, dicitur: sicut enim aliquis apud homines dicitur recordari de aliquo bono præstando cum illud præstiterit: sic Deus dicitur animarum recordari cum illis gratiam necessariam præstet: & sicut methaphoricè Deus dicitur obliviscì, quando alicui gratiam non concedit, juxta illud *Psal.* 41. *quare oblitus es mei*; idest me exaudire nolis: ita etiam recordari, quando gratiam concedit 1. *Reg.* 1. 2. *& recordatus est ejus*, nempe Annæ *Dominus*, concedendo

dendo ei gratiam, quam ab illo poſtulaverat; filium conciviendi.

FAMULORUM &c. Nomine famulorum, & famularum boni, malique intelliguntur: boni quidem dicuntur *famuli*, quia mandata ejus adimplent, ejuſque voluntati obſecundantur; mali verò per creationem. Pro omnibus orat Sacerdos; pro bonis, ut illos Dominus in gratia conſervet, a malis liberet, & deſiderata concedat; pro malis, ut his illuminationis gratiam concedere, & ad veram pœnitentiam perducere dignetur.

Dicitur primo *FAMULORUM*, dein *FAMULARUM*, ut ſexus etiam dignitas ſervetur, quia: *Vir caput eſt mulieris* 1. *ad chor.* 2. & ideo pro viris primo, dein pro fœminis offert.

N. N. Ad hujuſmodi litteras, ſi velit Sacerdos, ut ſupra diximus poterit illorum nomina exprimere, pro quibus offerre intendit: verùm quo magis Sacerdos in *memento* ordinatè procedat, formulam, qua in ſuo ſacrificio S. Franciſcus Borgia utebatur, in mente proponat.

Proponat, igitur, ſibi Sacerdos in ſacrificio Chriſtum Crucifixum, & per 5. ejus plagas, quinque hominum ordines commendat. *In prima* manus dextræ Deo commendat Summum Pontificem, ſuum Antiſtitem, totumque Eccleſiaſticum ordinem. *In ſecunda* ſiniſtræ Reges cum ſuis Miniſtris. *In tertia*

pedis

pedis dextri Religioſos omnes & Congregationes. *In quarta* ſiniſtri Parentes, Amicos, Benefactores Eccleſiæ, Inimicos, omneſque, qui ſe ſuis orationibus commendaverunt, & pro quibus intendit orare; peccatores tandem & hæreticos, ut ad gratiam, fideique lumen redeant. *In quinta* lateris ſeipſum commendat, in quam confugiat, ut ſupplex, quæ ſibi neceſſaria ſunt; petat.

ET OMNIUM. Orat hic ſpecialiter Sacerdos pro illis, qui eidem circumſtant, & ſacrificium audiunt, ita ut ſenſus ſit: o Domine precamur te, memento etiam omnium circumſtantium, qui huic ſacrificio aſſiſtunt.

Dubium hic inſurgere poſſet, quare Sacerdos pro ſe ipſo non orat? Eminent. Bona refert, quod in pluribus miſſalibus antiquis habebatur memoria Sacerdotis per hæc verba: *Memento mei, & miſerere*: in reformatis verò miſſalibus nulla habetur; & hoc vel quia pro ſeipſo jam in memento oravit, vel quia ſeipſum illis verbis nominaturus eſt: *vel, qui tibi offerunt*.

QUORUM, ideſt circumſtantium *fides*, quæ prima diſpoſitio eſt, quæque in eo requiritur, qui ſacrificium audit, ut Miſſæ fructum percipiat: *TIBI COGNITA EST*; nam fides utpote interna diſpoſitio ſoli Deo eſt cognita, qui ſolus eſt *ſcrutans corda, & renes*: *Pſal.* 7.

ET NOTA, ideſt cognita, ſupple Deo, & quidem proprer eandem rationem, quia ſcilicet

licet interna eſt diſpoſitio, quia mens per devotum affectum elevatur in Deum.

Pro QUIBUS, ſcilicet, circumſtantibus *TIBI* Triadi Sacroſanctæ *offerimus*; ego ſcilicet Eccleſiæ nomine; quapropter ſenſus eſt pro quibus circumſtantibus, etiam nos tibi offerimus.

VEL. Particula *vel* ex ſui natura diſiunctiva, (licet aliquando penes grammaticos pro copulativa, & ut legitur *in not. Sacram. S. Gregorii*, ponatur) hic etiam pro disjunctiva ponitur, & hoc propter tria: primò, quia antiquitùs erat liberum alterutrum dicere: ſecundò, quia utrumque etiam a multis dicebatur: tertiò, quia *pro quibus tibi offerimus* cadit ſupra circumſtantes, *& qui tibi offerunt* ſuper Sacerdotes ſacrificantes.

Sacrificium hoc vocatur *LAUDIS*, quia ut ſupra diximus, eſt *Lautreuticum*, ſeu ad adorandum, laudandumque Deum inſtitutum: meritò igitur *ſacrificium laudis* vocatur, quia per hoc Deus maximè honoratur: juxta illud, *Pſal.* 44. *ſacrificium laudis honorificabit me*: Unde Chriſtus cum laude, & gratiarum actione illud inſtituit: *Matth.* 26. *v.* 30. *Mar.* 14.

PRO Se. Sacerdos primò pro ſeipſo ſacrificium offert: ſicut enim homo primo ſeipſum diligit, deinde per charitatem proximus illi diligendus præcipitur, quippe dilectio ordinata eſt, juxta illud *Cantic.* 2. *ordinavit in me charitatem*, ſeu Dei, proximique amorem; ideò primo

primo quiſquis pro ſe ſacrificium offert, dein pro aliis.

SUISQUE OMNIBUS, per naturam ſcilicet conjunctis, ut ſunt *Parentes*: familiaritate & amore conjuncti, ut *Benefactores*, & tandem etiam inimici.

Pro REDEMPTIONE ETC. Numerat hic Sacerdos bona, propter quæ fideles ſacrificium hoc offerre debeant, inter quæ præcipuum, eſt bonum animarum, ſcilicet earum redemptio.

Redemptio autem pluribus modis ſumitur.

Primò pro ſolutione pretii ſufficientis, quo modo Chriſtus omnes homines redemit; de qua *Apoſt.* 1. *ad Tim.* 2. habet: *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*.

Secundò pro applicatione illius pretii ſoluti, & hac redemptione omnes indigent: ſcilicet quiſque neceſſe habet, ut ſolutum pro illo redemptionis pretium applicet, ut illius fructum conſequatur; hinc Apoſtolus habet: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea*: *ad Coloſ.* 1. & quid deeſt, niſi applicatio?

Tertiò pro ſolutione debiti pœnæ, quæ remiſſa culpa, remanet vel hic, vel in purgatorio luenda, a qua & nos, & animæ ibi detentæ, ut ſolvantur; petimus, de qua, 2. *Mach.* 12. dicitur: *ſancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*.

Quar-

Quartò pro præſervatione a peccato futuro, præſervando ſcilicet fideles ne cadant, in quo ſenſu Chriſtus, qui, ut canit Eccleſia in Hymno Nativitatis: *Redemptor eſt omnium*: verè dicitur Beatam Virginem nullo unquam temporis inſtanti originalis peccati labe coinquinatam, redemiſſe, per hoc quod illam jam jam caſuram, ne caderet, præſervaverit.

Quintò pro liberatione ab ærumnis hujus ſæculi, de qua *Pſal. 77. non ſunt recordati manus ejus*, ideſt potentiæ illius; *in die, qua redemit eos de manu tribulantis*, in die ſcilicet, qua illos liberaverat ab afflictionibus, & ærumnis, quas in Ægipto ſub Pharaone patiebantur.

Pro REDEMTIONE, igitur, *ANIMARUM SUARUM*, non quidem primo modo ſumpta, bene vero aliis modis explicata, hoc ſacrificium circumſtantes offerunt.

PRO ſpe SALUTIS, ideſt vitæ æternæ, hoc ſacrificium offertur: dicitur autem *pro ſpe*, & non pro ſalute, quia vita æterna hic non habetur in re, ſed in ſpe.

ET INCOLUMITATIS. Poſtquam ſalutem æternam poſtulavit, pro ſpe *incolumitatis* ideſt ſalutis temporalis ſacrificium offert Sacerdos: licet enim Fidelibus, poſtquam bona animæ a Deo petierint, bona etiam corporis petere, quatenus media ſunt ad vitam æternam obtinendam.

TIBI, Deo Patri Omnipotenti *REDDUNT*,

DUNT, & non dant, quia nos Deo damus id, quod de manu ſua per gratiam accepimus, ideireo reddere dicimur, & non dare: non dant ergò, ſed reddunt circumſtantes *VOTA SUA*, debitum ſcilicet Deo cultum, qui propterea ipſi reddi omni jure debet.

Æternus dicitur Deus, & immutabilis, quia mutationi numquam ſubjacet, ſicut ipſemet teſtatur *Malac. 3. ego Dominus, & non mutor.*

Dicitur Deus *vivus* ad differentiam Idolorum, qui vocantur Dii, ſed ſunt mortui; de quibus propterea per Pſaltem dicitur: *pſal. 113. os habent & non loquentur, oculos habent, & non videbunt*: Deus autem noſter eſt vivus, immo apud ipſum *eſt fons vitæ*: *ex Pſal. 35.*

ET VERO, ideſt per naturam ad differentiam hominum, qui utique in Scriptura vocantur Dii propter quamdam excellentiam & poteſtatem, quæ illis in alios traditur: ſic Moiſes Exod. 7. conſtitutus legitur Deus Pharaoni ibi: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Sic etiam Sacerdotes in Scriptura vocantur Dii propter excellentiſſimam illorum poteſtatem: *Pſal. 87. ergo dixi dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Deus autem noſter eſt verus Deus per naturam.

§. TERTIUS.

De Tertia primæ partis oratione: Communicantes & memoriam &c.

TItulus hujus diſparati capitis *infra actionem* inſcribitur, ideſt *infra canonem*, quæ quidem verba oſtendunt, quod oratio ſequens nempe *Communicantes* non eſt diſtincta ab antecedenti, ſed cum illa connectitur, & eſt inferior pars primæ orationis, ut mox conſtabit: dicitur autem *infra actionem*, quaſi intra actionem: quemadmodum olim in quibusdam Rubr. miſſalium, vinum dicebatur *infra calicem*, ideſt intra calicem; infundi.

COMMUNICANTES. En connexionem, hujus inferioris partis cum ſuperiori, & ſenſus eſt: circumſtantes reddunt Tibi vota ſua communicantes inter ſe ſcilicet, & cum ſanctis, quorum memoriam veneramur: inter ſe quidem per fidem & charitatem, & cum ſanctis in ipſa met fide, in qua defuncti nos præceſerunt.

Et MEMORIAM Sanctorum propter varias utilitates veneramur, non quidem illis ſacrificium offerendo, ut falsò putant hæretici; cum hoc ſoli Deo offeratur; verum, ut in magnis neceſſitatibus ipſos apud Deum Patrem, & Jeſum Chriſtum advocatos habere poſſimus.

In PRIMIS. Et quidem ante omnium memo-

moriam illius primò veneramur, quæ Dei Genitricis dignitatem obtinuit, Mariæ ſcilicet: quandoquidem ipſa eſt Sanctorum omnium ſanctiſſima, quæ cæteras creaturas gratia, & gloriâ excellit, & per illius manus donum hoc accepimus.

GLORIOSÆ. Hæc virgo glorioſa meritò nuncupatur propter ejus fœlicitatem; quippe præ aliis eſt glorioſior in cœlis, ſicut in terris præ aliis plus gratiæ habuit; de qua *D. Bernard. ſerm. 1. de aſſumpt: quantum gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ ſingularis.*

SEMPERQVE VIRGINIS. Hæc ſemper virgo ab Eccleſia dicitur, eo quod Virgo fuerit ante partum, quia hæc: *Virum omnino non novit, & virum ſuo utero circumdedit: D. Auguſt. ſerm. 18. de Sanct. in med.* In partu etiam ipſo: nam Chriſti Corpus *per Nativitatem ſuam clauſo exivit utero Virginis. S. Gregor. Pap. homil. 26. in Evang.* Virgo etiam poſt partum, quia præter Chriſtum alios non habuit filios, & quidem virgo etiam mente: hinc ab Eccleſia *virgo ſingularis*, vocatur,

MARIÆ. Virgo hæc proprio nomine *Maria* vocatur, quod *Domina* interpretatur: quippe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum concepit, & peperit; hinc *Pet. Chryſol. ſerm. 142. de Annunc.* ait: *Maria hebræo ſermone, latinè Domina nuncupatur.*

Alii vero *Mariam*, *ſpem* interpretantur, quia

quia Chriſtum mundo edidit, qui eſt ſpes noſtra; ſic enim illam Eccleſia ſalutat, dicens: *Spes noſtra ſalve.*

Alii tandem *ſtellam* interpretantur, quia ſicut illa ſine ſui corruptione ſuum emittit radium; ſic & Maria abſque ulla corporis læſione Chriſtum peperit. Et ſanè ſtella eſt, qua Duce, nos in hoc ſæculi mare tot tentationum ſyrtibus periculoſiſſimo navigantes ad æternæ ſalutis portum appellere valeamus.

CENITRICIS DEI. Dicitur hìc Maria *Genitrix Dei*, ad exprimendam ejus maximam dignitatem; quippe nulla hac major dignitas excogitari poteſt. Quid enim Dei Matre nobiliùs? *Quid illa majus, aut illuſtrius ullo unquam tempore inventum eſt, ſeu aliquando inveniri poterit? S. Joan. Chriſ. apud Metaphraſt.*

Meritò dein ſubjungitur: *& Domini noſtri Jeſu Chriſti*, cum enim nomen Deus ſupponat pro tribus perſonis; ne crederetur Mariam fuiſſe Matrem trium perſonarum, jure Eccleſia addidit: *Et Domini &c.* ideſt *Dei*, ſeu illius perſonæ, quæ humanitate aſſumpta cœpit vori Jeſus Chriſtus.

SED ET. Implorata Virginis interceſſione ad illam Sanctorum Eccleſia recurrit; & quidem primò ad interceſſionem Apoſtolorum: Ipſi enim nobis ritum ſacrificandi tradiderunt, ipſi inſtitutionis hujus teſtes fuerunt: & quemadmodum in lege veteri Pontifex quan-

quando in Sancta Sanctorum introibat, nomina duodecim tribuum in rationali deſcripta inferebat; ſic Pontifex Evangelicus Sacrificium peracturus præcedentium Patrum agit memoriam.

BEATORUM. Dicuntur *Beati*, & quidem *in re*, non amplius *in ſpe*, ſicut nos; quia jam viſione fruuntur beata,

APOSTOLORUM. Vocantur *Apoſtoli*, ideſt miſſi ad prædicandum; Apoſtolus enim ex nominis ethimologia idem eſt, ac miſſus. & quidem Apoſtoli, a Chriſto ſic nominati ſunt: *Luc. 6. & elegit duodecim ex ipſis*, [*quos & Apoſtolos nominavit*.] qui & ab eodem miſſi fuere ad prædicandum: *euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. *Marc. 16.*

ET MARTYRUM. Vox illa Martyrum ſecundum aliquos cadit ſupra Apoſtolos, ità ut ſenſus ſit: *Apoſtolorum*, qui & ſunt Martyres tui, ideſt Teſtes; *Martyr* enim interpretatur *Teſtis*: & quidem illi fuere Teſtes ejus reſurrectionis in Jeruſalem, *Act. 1. Et eritis mihi Teſtes in Jeruſalem ..... Act. 3. cujus nos teſtes ſumus*: & pro illius fide mortem ſubire non dubitarunt.

Secundum alios verò cadit ſuper alios Sanctos, quod & admitto: quippe poſt Apoſtolos alios Martyres nominat Eccleſia.

PETRI. Incipit hìc Sacerdos Apoſtolorum nomina exprimere, & ante omnes Petri.

memoriam veneratur. Et quidem meritò: quippe hic fuit primus Chriſti Vicarius in terra, Supremus Eccleſiæ Paſtor, cui Chriſtus Eccleſiam commendavit; & ne multus ſim, Apoſtolorum Princeps.

Petrus Trinomius erat: vocatur enim aliquando in ſcriptura *Cephas*, quæ vox interpretatur *Petra*: unde dicitur: *Tu es Simon ... tu vocaberis Cephas. Joan.* 1. Pluries *Simon*: ſic *Matth.* 16. *Beatus eſt Simon Bar-Jona*; & non rarò *Petrus*, ut *Matth.* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Hic, pulſis Urbe Judæis Claudii Imperatoris edicto, in Palæſtinam reverſus eſt, inde Romam denuò cum Paulo rediit Epochæ Chriſti vulgaris anno 65. Neronis XII, ut principem Romanam Eccleſiam prima per Neronem perſecutione afflictam, præſentia, monitis, & exemplis confirmaret: Inſequenti autem Chriſti anno 67. cum Simonem Magum, qui volatum affectabat, genuflexus in terram ſuis precibus dejeciſſet, Crucis ſupplicium inverſo deorſum capite ſubiit 3. Kalendas Julias, Neronis anno XIII.

PAULI. Paulum a Petro numquam ſeparat Eccleſia; propterea nominato Petro, ſtatim Paulum nominat: quandoquidem ſi in vita ita dilexerunt ſe, ut & in morte nec fuerint ſeparati; meritò nec illos Eccleſia in commemorationibus ſeparat, ut notat *Bellarmin. lib. 4. de miſſ. cap. 26.*

Pau-

Paulus hic ab initio, etiam ante Conversionem, erat Binomius: familiare siquidem erat Judæis, ut simul cum nominibus hebraicis, nomina Gentium, quibus deserviebant, assumerent; sic & sub Græcis existentes nominibus græcis vocabantur: quia ergo Saulus Romanis inserviebat, apud quos celebre erat *Paulli* nomen, propterea apud Judæos *Saulus*, penes Romanos vero *Paulus* audiebat (quamvis Paulli nomine non videtur usus, nisi post Conversionem.) Hinc est, quod de eo, *Act. 13.* dicitur: *Saulus, qui & Paulus.*

Paulus iste una cum Petro eodem die, Martyrium subiit, & obtruncato capite, ad Paradisi gloriam evolavit.

ANDREÆ. Primus, qui inter Apostolos a Christo vocatus fuerat, erat Andreas Frater Simonis Petri, qui & Petrum postea adduxit ad Jesum: *Joan. 1.* Hic Bethsaidæ natus, Discipulus primum Joannis Baptistæ, dein Christi: sub Egea Proconsule Patris Achaiæ cum plurimos ad Evangelii veritatem perduxisset, Cruci affixus est, in qua biduo vivus pendens, ac populum docens, martyrio coronatus est: cujus memoria pridie Kalend. Decembris recolitur.

JACOBI. Jacobus hic Major est, non quidem ætate, sed vocatione; quippe, ante alium Jacobum a Christo fuerat vocatus: frater erat Joannis Evangelistæ, ambo filii Zebedæi, quos Christus *Boanerges*, id est

*Joan.*20. dicitur: *Didimus*, ideſt dubius, quia de Dominica Reſurrectione præ cæteris dubitavit. Hic apud Indos, quos in Chriſtiana fide erudierat, Gentis illius Regem ad iracundiam accendens, Calaminæ telis confoſſus, martyrio coronatus eſt: hujus memoria XI. Kalend. Januarii recolitur.

JACOBI. Jacobus iſte Minor eſt, *Alphei* dictus, cognomento *Juſtus*, qui & frater Domini fuerat vocatus, impropriè quidem, vel quia Chriſto erat cognatione, & ſanguine conjunctus, vel quia illi aſſimilabatur; & propterea ne errarent Judæi in capiendo Chriſto, Judas dederat eis ſignum dicens: *Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Matth. 26.*

Apoſtolus hic omnium primus Epiſcopus Hieroſolymitanus a Petro, altero Jacobo, & Joanne conſtitutus eſt: Martyrium a Judæis paſſus, a quibus primum lapidibus appetitus, dein ex altiſſimo templi loco præcipitatus, tandem capite fullonis fuſte percuſſus; Kalendis Maji volavit ad cœlum.

PHILIPPI. Philippus hic Bethſaidæ natus, tanta ſibi Chriſtum benevolentia conciliavit, ut quotquot de Gentibus Meſſiam videre cupiebant, ad Philippum recurrerent; cum quo præ aliis Chriſtus familiariter converſabatur. Hic peragratis multis orbis partibus, tandem Hieropoli Phrigiæ pro Chriſti nomine Cruci affixus, lapidibus obtutus eſt Kalen. Maji.

BARTHOLOMÆI. Solus hic inter Apoſtolus fuiſſe fertur Nobilis, & Philoſophus, qui cùm in Orbis partitione, in majorem Armeniam, quæ ei ſortè contigit, perveniſſet; ac Polymium Regem, & Conjugem ejus, ac duodecim provincias ad Chriſti fidem convertiſſet: Gentilium Sacerdotes Aſtiagem Polymii Regis fratrem in Apoſtolum ita concitarunt, ut is vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi, & caput abſcindi juſſerit: cujus memoria excoriationis, IX. mortis verò VIII. Kal. Septembris recolitur.

MATTHÆI. Hic Matthæus ille eſt, qui è telonio vocatus, ſtatim ſecutus eſt Chriſtum, ut ipſemet, *cap. 9.* teſtatur dicens: *vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine*, & factus eſt Apoſtolus. Hic in Æthiopiam profectus, ibi Chriſti fidem diſſeminaturus; cum Iphigeniæ Regis jam defuncti filiæ, quam ſibi Hirtacus in matrimonium dari vellet, ut Deo virginitatem ſuam voveret, perſuaſiſſet: Hirtacus Matthæum ad altare celebrantem juſſit occidi II. Kal. Octobris.

SIMONIS. Simon hic frater eſt Jacobi Minoris, vulgò dictus *Chananæus*, quia a Cana Galilææ oriundus erat, ubi primum ſignorum converſionis aquæ in vinum Chriſtus patraverat. Hic Ægyptum Evangelicæ prædicationis cauſa, dein in Perſidem conveniens, cum innumerabiles ibi Chriſto filios peperiſſet: in Perſide tandem glorioſo martyrio coronatus eſt V. Kal. Decembris. *THAD-*

THADDÆI. Scilicet Judæ, qui *Thaddæus* cognominatur ad differentiam Judæ traditoris. Hic Meſopotamiam pergens, dein in Perſidem convenit; ubi una cum Simone eodem die, & anno martyrio coronatus eſt.

LINI. Poſt Apoſtolorum memoriam illam martyrum recolit Eccleſia, & non Confeſſorum; quia ut ſupra ſuo loco diximus eo tempore, quo fuerat canon compoſitus Confeſſorum memoria adhuc non colebatur.

Et primò quidem ponitur *Linus*, qui primus poſt Beatum Petrum Romanam rexit Eccleſiam. Hic poſtquam multos pro Chriſti nomine fuerat perpeſſus labores, multaque ſuſtinuiſſet tormenta; juſſu tandem Saturnini Conſularis, Imperante Veſpaſiano, obtruncato capite, martyrium 9. Kal. Octob. implevit.

CLETI. Secundus, qui poſt D. Petrum rexit Eccleſiam, immediatuſque Lini ſucceſſor, fuit Cletus, Patria Romanus: hic ſub Domitiano Imperatore, ſecunda poſt Neronem perſecutione 6. Kal. Majas martyrio coronatus eſt.

CLEMENTIS. Sextus hic poſt Divum Petrum gubernavit Eccleſiam: Hic Romanus natione, ſtirpe Senatoria, Petri, & Pauli Diſcipulus ſub initium Trajani Cherſonam relegatus eſt, ubi cum veram Chriſti fidem per ea loca diſſeminaſſet, anchora illi è collo ſuſpenſa, in mare projectus, martyrio 9. Kal. Decemb. coronatus eſt, Trajano & Frontone ter coſſ.

XISTI. Octavus hic a Petro Eccleſiam gu-

bernavit: Patria Rom. anno Antonini Pii III., non ex aliqua hujus piiſſimi Imperatoris in Chriſtianos perſecutione, ſed per calumniam, & ex odio Magiſtratuum Rom. in Chriſtianam Religionem martyrio 8. Idus Aprilis coronatus eſt.

CORNELII. Cornelius hic XXII. poſt D. Petrum rexit Eccleſiam: Patria Romanus, Eccleſiam anno uno, menſibus 4. & dies quindecim gubernavit. Adverſus hunc cum Novatianus Presbyter ſeſe offerens Romanam Eccleſiam Schiſmate diviſiſſet; Cornelius Centumcellas cum aliis quampluribus ob fidem in exilium miſſus; tandem 16. Kal. Octobris martyrium ſubiit, Gallo, & Voluſiano imperantibus.

CYPRIANI. Hic Epiſcopus fuit Carthaginenſis doctrina, & pietate clariſſimus, qui ſub Valeriano, & Gallieno Principibus perſecutione octava, eodem die, quo Cornelius, ſed non eodem anno, Carthagine martyrium conſummavit.

LAURENTII. Iſte ille eſt Laurentius, qui Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus Xiſto II. inſerviebat. Hic triduo a Divi Xiſti paſſione [quod & illi Xiſtus prædixerat, dicens: *Poſt triduum me ſequèris Sacerdotem Levita*] propter Jeſu Chriſti fidem in Decii perſecutione, ſuper cratem ferream vivus aſſatus, IV. Idus Aug. glorioſiorem præ aliis de Tyranno triumphum reportavit.

CRY-

CRYSOGONI. Chryſogonus ſub Diocletiano Imperatore poſt vincula, & longos carceres, ad aquas Gradatas juſſu ejuſdem Imperatoris capite percuſſus VIII. Kal. Decembris, ad æternam gloriam evolavit.

JOANNIS & PAULI. Fratres Romani ſub Juliano Apoſtata domi, ne ſi publicè interficerentur, populus commoveretur; ob Chriſti fidem abſciſſis eorum capitibus 6. Kalend. Julii martyrio coronati ſunt.

COSMÆ, & DAMIANI. Hi etiam fratres fuere Arabes Ægea in Urbe nati, nobiles Medici qui ſub Lyſia Præfecto primùm in mare projecti, & inde mirabiliter liberati, in rogum poſtea injecti ſunt; a quibus cum flamma refugiſſet, ſecuri tandem percuſſi, ſub Diocletiano, ac Maximiano Imperatoribus V. Kalend. Octobris ad æternam gloriam evolarunt.

Et OMNIUM SS. Eccleſia tandem Sanctorum omnium implorat interceſſionem: licet enim ad vitandam prolixitatem, quot Apoſtolos nominaverat, tot & martyres nominavit; tandem tamen ad omnium Sanctorum præſidium confugit, & interceſſionem, quo ſit, ut eidem *multiplicatis interceſſoribus*, quidquid petierit, *Deus largiatur*.

Et quidem ad eorum interceſſionem confugit, ut illorum *MERITIS*, & *PRECIBUS*, intuitu ſcilicet meritorum, & precum illorum, concedat, & largiatur Deus Eccleſiæ, quidquid illa petierit &c. *VT*

VT. Id etiam concedat, ſcilicet: ut in *omnibus intelligendis* credendis appetendis, & agendis *MVNIAMVR*: ſimus nempè contra omnes inimicos noſtros muniti *AVXILIO TVÆ PROTECTIONIS*, firmiſſima, ac potentiſſima ſua protectione. Et quidem jure: nos enim quamdiu in via ſumus, continuo Dei indigemus auxilio, quod ab illo minime obtenturos ſperamus, niſi ad Sanctos, & præcipuè ad Mariam recurramus. Hinc Regius Propheta, poſtquam oculos ad montes levaſſet, ad ſanctos ſcilicet, à quibus auxilium ſibi venturum ſperabat: dicens: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*: *Pſal.* 120. ſtatim ſubjunxit auxilium a ſolo Domino impetraſſe. *Auxilium meum a Domino, qui fecit Cœlum, & Terram.* Recurrendum eſt ergo ad illos, ut ipſi pro nobis intercedant; ſed a Deo, quod petimus, impetramus.

Per CHRISTVM &c. Omnis noſtra oratio *PER CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM* concluditur: quippe ipſemet Chriſtus, qui factus homo, fieri dignatus eſt: *Mediator Dei, & hominum* 1. *ad Timot.* 2. proteſtatus eſt: illum, omnia quæ petierit, obtenturum, qui in nomine ſuo confidenter poſtulaverit, dicens: *Si quid petieris me in nomine meo, hoc faciam. Joan.* 14.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De ſecunda Canonis Parte.

EXplicata prima Canonis parte, ſeu prima oratione per tres Parag. diviſa, accedimus ad explicandam ſecundam unico §. contentam: quæ incipit: *Hanc igitur oblationem*, & in illa verba deſinit: *Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

§. UNICUS.

Explicantur ſingula hujus Partis verba Hanc igitur oblationem.

HANC IGITUR. Sacerdos antequam hanc orationem incipiat, ut ſuo loco diximus, expenſas manus ſuper oblata tenet; cujus cæremoniæ ratio eſt: quia ſicut in lege veteri ſacrificium oblaturi, ſuper victima mactanda manum imponebant, ut ſic profiterentur Deum eſſe vitæ ſuæ Dominum, cujus loco illam victimam ſubrogabant; ſic & in lege nova Sacerdos ſacrificium hoc oblaturus manus ſuper materiam tranſubſtantiandam imponit: & dicit.

IGITUR: Hæc particula connexionem hujus orationis cum prima oſtendit, ita ut ſenſus ſit: quia per ſanctorum interceſſionem rogavimus te, ut in omnibus protectionis tuæ mu-

muniamur auxilio; *igitur* & per eorumdem merita *hanc tibi offerimus*.

OBLATIONEM; Corpus ſcilicet, & Sanguinem, in quæ nempè panis & vinum vi conſecrationis tranſubſtantiantur, & non panem & vinum.

Cujus explicationis ratio eſſe poteſt, quia non eſt novum in Scriptura, quod res denominatur ab eo, in quod commutatur. Sic de virga Moſis, verſa jam in colubrum, dicitur: *Exod. 7. ſed devoravit virga Aaron, virgas* [ideſt Dracones, in quas per Ægyptiacas incantationes, a maleficis Magis verſæ erant virgæ] *eorum* ideſt Magorum: quia iterum coluber in virgam vertendus erat. Ita, & Eccleſia vocat oblationem Corpus, & Sanguinem, in quæ panis, & vinum tranſitura ſunt.

SERVITUTIS NOSTRÆ. Per quam nempè oblationem tibi noſtram profitemur ſervitutem; quandoquidem ſacrificium hoc fit a Sacerdote nomine totius Eccleſiæ in recognitionem ſupremi Dominii, quod Deus habet in nos omnes, uti ejus ſervos: ut jam ſuo loco ſatis oſtendimus.

SED ET CUNCTÆ &c. Nos Deo ſacrificium offerimus, & quatenus *Deus noſter* eſt, ut ſupra explicavimus, quo modo dicimur Deo oblationem ſervitutis noſtræ offerre; & quatenus *Pater noſter* eſt, quia nos per gratiam adoptavit; & hoc modo nos ad ipſum, uti Patrem confidenter recurrentes, hanc oblationem

tionem noſtram, uti a familia ſua, nempe Eccleſia, ſibi oblata, ut illam accipiat; roganus.

QUÆSUMUS DOMINE, UT PLACATUS ACCIPIAS. Placatur Deus per pœnitentiam, cordiſque contritionem: hinc eſt, quod ſi contigerit Sacerdotem peccare, priùs quam ad tantum myſterium peragendum accedat, Deum ſibi pacificare, & placare, ac reconciliare quærat, ut Deus illius Sacrificium acceptare dignetur.

Hoc tamen non eſt intelligendum, quod ſi Sacerdos in peccato conſecraverit, verè non conſecret, quia Chriſtus eſt ille, qui principaliter conſecrat, ſed ſenſus eſt: ut Deus hanc oblationem acceptet non ſecundum ſe; quia hoc modo ſemper acceptatur: ſed *prout a nobis*.

DIESQUE NOSTROS. Verba hæc, ut alibi jam meminimus, addita fuere in Canone a Gregorio Magno, ut legitur in ejus vita. Hic Sacerdos, poſtquam ſupra petierit, ut Deus placatus noſtram oblationem acceptet; petit, ut etiam *DIES NOSTROS IN SUA PACE DISPONAT*: ut inquam, dum ſimus in hoc ſæculo, vera illius tantum pace fruamur; illa, inquam, quam ingrediens in mundum per Angelum nuntiavit, & diſceſſurus Apoſtolis reliquit, dicens: *Pacem do vobis . . . . non quomodo mundus dat, ego do vobis, Joan. 14.*

ATQUE AB ÆTERNA. Hic Sacer-

cerdos liberationem petit a pœnis inferni, ut ſcilicet, dignetur nos Domine ab æterna damnatione liberare, dicens: O Domine rogamus te, ut poſtquam dies noſtros in tua pace diſpoſueris, cum ad vitæ finem pervenerimus, jube, ideſt tua potentia fac, ut nos, ab æterna damnatione eripiamur.

ET IN ELECTORUM. Ultimo loco petit Sacerdos, ut Ipſe offerentes dignetur in Electorum ſuorum grege numerare, gloriæ æternæ conſecutione, quæ finis eſt, propter quem Deus nos creavit, & redemit: dicit ergo Sacerdos.

ET JUBEAS per gratiam, & voluntatem tuam, *NUMERARI*, ſeu eſſe in numero: in *GREGE*, Gregis, nempe Eccleſiæ: nam electorum Eccleſia vocatur *Grex*: *Nolite timere puſillus Grex*, *Luc.* 12. Et quidem merito: Cum enim Chriſtus ſit noſter Paſtor, ut ipſe, *Joan.* 10. teſtatus eſt, dicens: *Ego ſum Paſtor bonus*, nos omnes etiam in Patria ſumus *Grex*, & quidem *electorum*; ideſt ab æterno prædeſtinatorum. *Per Chriſtum &c.*

CAPUT TERTIUM.

De Tertia Canonis Parte.

TErtia Canonis pars ab illis incipit verbis: *Quam oblationem*, & ad illa, peracta igitur conſecratione, verba: *Hanc igitur oblationem*

que

que feceritis &c. terminatur. De hac in ſequenti.

§. UNICUS.

Explicantur ſingula hujus orationis verba.

QUAM OBLATIONEM. Verba hæc panem, & vinum jam ſuper altari oblata, ut ex ipſis *fiat* Chriſti corpus, & ſanguis, ſignificant; de quibus Sacerdos loquitur, dicens: *Quam oblationem* tuis ſcilicet precibus commendatam.

TU, DEUS, Ex tua miſericordia, & non jam propter noſtra merita; quippe ſi noſtra merita reſpicias, damnationis potiùs ſunt, quam impetrationis. IN OMNIBUS FACERE, ideſt omnimodè, ſeu omni modo reddere digneris.

BENEDICTAM, omni nempe benedictione dignam, per tranſubſtantiationem de prophana in corpus & ſanguinem Chriſti.

ADSCRIPTAM, ideſt annumeratam inter illa dona, quæ tibi probantur.

RATAM, ideſt ſtabilem, certumque nobis fructum referentem.

RATIONABILEM, ut non ſolum bonum ſit, quod offerimus, ſed ut & benè offeratur, unde rationabilis evadat oblatio: rationabilis, inquam, ideſt obſequii noſtri, & non animalium: ut ait *Apoſt. ad Rom. 12.*

Et

Et *ACCEPTABILEM*, dignam videlicet, ut acceptetur, & ex parte rei oblatæ, & modi offerendi.

UT NOBIS FIAT. Non petit hìc Sacerdos, ut male intellexerint Hæretici, ut conſecratio abſolute fiat, quia hæc infallibiliter fit, nec ex diſpoſitione miniſtri dependet; ſed ut fiat fructuoſa virtute illius, qui in principio temporis dicendo *fiat*, omnia facta ſunt: hinc Sacerdos [quod eſt notandum] non dicit: ut *fiat corpus*, ſed ut *fiat nobis*.

Et *SANGVIS*; ideſt tota Chriſti ſubſtantia, ſeu totus Chriſtus ſub utraque ſpecie.

DILECTISSIMI Filii tui. Dilectiſſimum, hunc vocat Patri Filium Eccleſia propter maximam, quam Patri oſtendit obedientiam, & humilitatem, eo quod ita ſemetipſum humiliaverit, ut amplius humiliari non poſſet; ita fuerit obediens, ut ſeipſum ad probroſiſſimam Crucis mortem obedientiæ ergò tradere non dubitaverit: de quo *ad Philipp.* 2. 4. dicitur: *Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem; mortem autem Crucis*.

QUI PRIDIE &c. Deſcribitur hìc tempus inſtitutionis, *qui*, ideſt Chriſtus Dominùs: *pridie, quam pateretur*, ideſt primo, ſeu uno die ante ſuam paſſionem hoc ſacrificium inſtituit; imò illa met nocte, in qua traditus fuit, teſtante Apoſtolo 1. *ad Cor.* 11. *Quod Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur*: hoc Sacrificium inſtituit.

AC-

ACCEPIT &c. Ecclesia hìc modum institutionis hujus Sacrificii describit, juxta illum, quem in supra laudata Epistola Apostolus notavit: circa quem modum aliqua in Lectoris gratiam breviter notabo super azymo, & fermentato; reliqua deinde juxta suum ordinem prosequendo.

Christus ergo, Pascha cum Discipulis celebrato, in quo, ut legalia quæcumque servaret, Paschalem agnum, feria 6. crucifigendus, fer. v. comedit. Expleta Agni typici cœna Sacrificium istud eo modo, quo ab Ecclesia per Apostolum edocta describitur, instituit; scilicet: peracta legali agni typici cœna, ut clarè ex *D.Th.* constat, dicente: *Post agnum typicum &c.* & ex *Trid. sess.* 24. ibi: *celebrato veteri Pascha;* aliis adhuc cœnantibus, *panem*, ut infra dicemus, *accepit*.

Hinc facilè conciliantur illa, *Matth.26. Cœnantibus illis*, cum istis *Luc.22. Similiter, & accipiens calicem postquam cœnavit, dicens*: scilicet: *Cœnantibus illis*, ideſt, cum adhuc illi cœnarent, Christus, *postquam cœnavit*, nempe facto fine cœnæ Legali ante alios, accepit panem, & calicem: & utrumque consecravit.

Et quidem azymum panem Christus accepit, & consecravit: nam Christus Dominus Sacrificium istud instituit postquam Paschalem Agnum cum Discipulis comedit, ut ex supra laudato Concil. Trid. loco confirmavimus: Christus autem comedit Agnum Pascha-

chalem in prima die azymorum: *Prima autem die azymorum*, *Matth.* 26. *Marc.* 14. Dies hi legales certè, ad differentiam naturalium, & artificialium incipiebant apud Hebræos a primis veſperis diei antecedentis uſque ad ſecundas, ut ſunt noſtra officia Eccleſiaſtica; propterea prima dies azymorum, utpote legalis, incipiebat a primis veſperis diei antecedentis.

Azyma autem ex præcepto Domini ſeptem diebus celebrabatur, Exod. 12.: *Azyma comedetis ſeptem diebus*, qui dies etiam erant legales, in quibus nefas erat apud Judæos a primis veſperis primæ diei azymorum fermentatum aliquid domi, imo nec in cunctis finibus ſuis retinere: Si ergo Chriſtus, qui in mundum venerat, *non ſolvere legem, ſed adimplere*, *Matth.* 5. Sacrificium iſtud inſtituit, ut ſupra ex Evangeliſtis oſtendimus, in prima die azymorum, ad veſperam nempe diei decimæquartæ abſolutæ, non ingreſſa die decimaquinta, quæ erat dies prima azymorum; (quandoquidem ſic conjungebantur ſimul Paſcha & dies prima azymorum: quippe celebratio Paſchatis includebat immolationem, aſſationem & comeſtionem agni, quæ fiebat ad veſperam diei 14. poſt occaſum Solis, a quo incipiebat dies 15: quæ erat prima dies Azymorum, a qua die Judæi ſolis azymis veſci poterant) Igitur ubinam fermentatum panem invenire poterat, ut in fermentato

tato ipſe conſecraret? probabilius ergo videtur, quod in azymo, ut Latina Eccleſia tenet, conſecraverit: licet, ut ſupra innuimus, tum azymus, cùm & fermentatus panis materia eſt apta. Legat. *Em. Gotti in Tract. de Euch.*

IN SANCTAS &c. Licet Evangeliſtæ horum mentionem non faciant, Eccleſia tamen id jure addidit Apoſtolica traditione edocta: quod videlicet Chriſtus tenens panem *in Sanctas*, inter ſanctas, ſcilicet, ac *Venerabilis*, ſeu omni veneratione dignas, *manus &c.*

Hic addere poſſem, quod licet clarè hujus non meminerint Evangeliſtæ, tamen ex ipſis deducitur verbis: *Accepit Jeſus panem*, *Matth. 26. March. 14.* quomodo accepiſſe ipſe diceretur, niſi manibus acceptum panem teneret? hinc eſt illud apud Angelicum Diſtichon.

Rex ſedet in cœna turba cinctus duodena:
Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.

Et ELEVATIS OCVLIS. Chriſtus Dominus ſuum corpus conſecraturus oculos ad Patrem levavit; de qua elevatione, licèt nullam Evangeliſtæ mentionem faciant, Eccleſia tamen hanc in Canone ex traditione Apoſtolica inſeruit, dicens: *Et ELEVATIS OCVLIS*, poſtquam panem in manus accepit, oculos *in Cœlum* levavit, *ad Te Deum ſuum*: Pater quippe æternus eſt Deus Chriſti in quantum homo: Deus etiam Chriſti in quantum Deus eſt, quia a Patre procedit.

Et quidem non abſque cauſa Eccleſia refert ex Apoſtolica Traditione Chriſtum Dominum oculos in Cœlum ad Patrem levaſſe. Quippe ſæpius legitur in Scriptura, quod Chriſtus opus aliquod mirabile peracturus oculos ad Patrem levabat: Sic Lazarum a mortuis ad vitam revocaturus, oculos ad cœlum levaſſe legitur. *Jeſus autem elevatis ſurſum oculis dixit &c. Jo.* 11. Sicut etiam ſuam poſtulaturus a Patre claritatem, oculos ad cœlum ſuſtulit, & *ſublevatis oculis in cœlum dixit &c.* Jo. 17.

TIBI GRATIAS &c. Chriſtus Dominus nedum gratias Deo Patri egit a conſecratione, ut legitur, *Matth.* 26. illis verbis: *& hymno dicto exierunt in montem Oliveti*: (qui certè hymnus non fuit alius niſi gratiarum actionis, nempe Pſalmus: *Laudate pueri*, cum quinque ſequentibus, qui omnes ab *Alleluja* incipiebant, quos Hebræi poſt Cœnam Agni Paſchalis canebant, *Paulus Burgen. in Pſalm.* 112.) Sed etiam ante conſecrationem, *Luc.* 22. *& accepto pane gratias egit*: quaſi jam, quod Patrem erat poſtulaturus, id accepiſſet. Sic Lazarum reſuſcitaturus ante reſurrectionem ſe jam exauditum a Patre, dicit: *Joan.* 11. *Pater gratias ago tibi, quoniam exaudiſti me*: Certus ſiquidem ſemper erat, quod illum Pater exaudiret, *Joan.* loco laudato: *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.*

BENEDIXIT, ideſt conſecravit, *& fregit*, ſcilicet poſtquam conſecravit, hunc in par-

partes diviſit, & diviſum *dedit*, ideſt diſtribuit Diſcipulis ſuis, Apoſtolis, & aliis, quos inter, ut piè creditur, dilectiſſimæ ejus Matri Mariæ: & quidem illis dedit, poſtquam ipſe ſumpſit, dicens:

ACCIPITE. Chriſtus diſtribuendo panem conſecratum Apoſtolis dicebat: *Accipite*: & quidem in propriis manibus conſecratum panem illis porrigebat, ut comederent. Hinc antiquitùs Sacerdotes, & Diaconi unà cum Epiſcopo celebrantes, accipiebant ab eo Euchariſtiam propriis manibus. *Noſt. Macer. verb. Communio*.

HOC eſt, nempe, quem oculis videtis, panem, per conſecrationem non eſt amplius panis, ſed vi verborum jam tranſubſtantiatus eſt in corpus meum.

Hìc tamen ſeriò eſt advertendum, quod Chriſtus primo panem *benedixit*, ideſt conſecravit; deinde conſecratum panem *fregit*, *deditque Diſcipulis ſuis*, dicens; ideſt manifeſtans illis in ſuam ſubſtantiam, panem illum tranſiſſe: *Accipite & comedite &c.* nam *hoc* jam *eſt Corpus meum*: Unico verbo hìc attenditur ordo Evangeliſtæ factum referentis, & non Chriſti operantis.

SIMILI MODO, ideſt *Similiter*, & eo, quo ſe geſſerat in conſecratione panis modo, ſe geſſit etiam in illa calicis, legali cœna peracta.

POSTQUAM Cœnatum eſt, ideſt cœnan-

nantibus adhuc Diſcipulis, ut ſupra, Chriſtus verò terminata cœna, juxta ea, quæ refert, *Luc.cap.*20. *Similiter, & Calicem poſtquam cœnavit &c.*

ACCIPIENS ET &c. Eodem quidem modo, quo panem conſecraturus, illum in ſuas manus acceperat: ſic calicem pariter, ſeu vas, in quo fuerat vinum contentum, *in ſanctas, ac venerabiles manus*; accepit.

ITEM Tibi gratias agens: iterum ſcilicet, ſicut ad panis conſecrationem: *Tibi* Deo ſuo Patri omnipotenti: *gratias agens*.

BENEDIXIT, ideſt conſecravit, *deditque Diſcipulis ſuis*, vas illud videlicet, in quo ſanguis continebatur, ut ſanguinem inter ſe dividerent; dicens. *Accipite, & dividite inter vos, Luc.*22. & propterea dixit, *Accipite*, nempe propriis manibus, *& bibite ex eo*, ideſt vel ſanguine, vel calice.

HIC EST: particula *enim* eſt rationalis, ſeu rationem aliquam deſignans: Quæ quidem ratio per hanc particulam deſignata, eſt: Ideo tradidi vobis Calicem hunc inter vos dividendum, quia Calix hic eſt *meus ſanguis novi, & æterni, &c.* Hoc enim non amplius vinum, ſed *eſt Calix ſanguinis mei &c.* ideſt: hic eſt ſanguis meus in calice contentus. Continens igitur hic pro contento per Metonymiam ponitur.

NOVI, & æterni teſtamenti &c. Sicut enim primum, vetuſque teſtamentum fuerat hyr-

hyrcorum, & vitulorum ſanguine dedicatum, de quo *Apoſtolus ad Hebr. 9. unde nec primum ſine ſanguine dedicatum eſt*: ſic, & novum teſtamentum, quod eſt æternum, quia ad uſque finem mundi durabit, Chriſti ſanguine dedicari debuit: & tunc quidem dedicavit: *cum per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa: ad Hebr. 9.*

MYSTERIUM FIDEI; & quidem præcipuum, quod cœco ductu, & captivo intellectu credere tenemur: eſtque præcipuum fidei noſtræ objectum propter panis & vini mirabilem tranſubſtantiationem.

QUI. Ideſt ſanguis in paſſione effundendus; *pro vobis* ideſt Apoſtolis & ſalvandis omnibus, quo ad efficaciam; & *pro multis* quo ad ſufficientiam; ita *Albert. Magnus diſc 8. art. 7. ad 2. EFFUNDETUR*. Vel *pro multis*, ut alii explicant, ideſt pro omnibus: quippe, non eſt novum in ſcriptura, quod multi pro omnibus ſumitur: hinc de omnibus intelligitur illud Apoſtoli *ad Rom. 5. per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*, ideſt omnes, quippe: *omnes in Adam peccaverunt*, alibi idem teſtatus eſt: & tunc ſenſus erit, *qui pro vobis*, & pro omnibus aliis gentibus *EFFUNDETUR*.

IN REMISSIONEM PECCATORUM; Finis præcipuus mortis Chriſti fuit noſtra redemptio, quæ haberi non poſſet abſque remiſſione peccatorum, & nec remiſſio haberi poſ-

ſet ex vi præſentis decreti abſque ſanguinis effuſione: *Apoſt. ad Hebr. 9.*

HÆC QUOTIESCUNQUE. His verbis Chriſtus Apoſtolos communicatos, Sacerdotes inſtituit, dans illis poteſtatem ſimiliter faciendi; ſenſus igitur verborum eſt: o Apoſtoli jam Sacerdotes: *Quotieſcumque* hæc feceritis, ideſt panem & vinum in meum Corpus, & Sanguinem tranſubſtantiaveritis: *In mei memoriam facietis*; recolite ſcilicet id in meæ paſſionis memoriam. Hinc ſacrificium hoc Paſſionis Chriſti rememorativum vocatur ab Angelico: *In Antiph. ad Magnif. in 2. veſp. feſti SS. Corporis Chriſti* dicente: *recolitur memoria paſſionis ejus.*

CAPUT QUARTUM.

De quarta Canonis parte.

QUarta Canonis pars ab illis incipit verbis *Vnde & memores* uſque ad *Memento* excluſive. De hac in ſequentibus.

§. PRIMUS.

***Explicantur verba*: unde & memores &c.**

UNDE: ideſt quia nullus Miſſæ ſacrificium celebrare auderet, niſi id tu Sacerdotibus præcepiſſes, dicens: *Hoc facite in meam com-*

commemorationem Luc. 22. *unde*, nos videlicet Sacerdotes *memores* tui mandati. *Servi tui*, quibus ideo juſtum, & æquum eſt tibi obedire; *offerimus*: & non ſolum nos Sacerdotes, & circumſtantes, *ſed eſt Plebs tua ſancta*, ſeu quotquot ſunt de gremio Eccleſiæ tuæ ſanctæ. *Ejuſdem Chriſti Filii &c.*

TAM BEATÆ. Tria hic Eccleſia de Chriſto commendat: Paſſionem ſcilicet, Reſurectionem, & Aſcenſionem: & quidem primò beatam commendat Chriſti paſſionem; quippe hæc noſtra corda ad ejus amorem accendit: & ſane quid eſt, quod magis noſtram charitatem inflammare poſſet, quam quod æternus *Pater proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*: *ad Rom.* 8. meritò igitur paſſionem commendat, quam *TAM BEATAM* vocat Eccleſia, ideſt excellenter beatificantem.

NEC NON &c. Secundò reſurrectionem ejus commendat ad fidem noſtram corroborandam, ut & nos ſicut ille reſurexit, reſurecturos ſperemus: 1. *enim Corinth.* 15. dicitur *ſi autem Chriſtus prædicatur quod reſurexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quod reſurectio mortuorum non eſt*: propterea dicitur: *Nec non*, ſeu etiam: *reſurectionis ab inferis*, ab illis, inquam, ad quos in triduo ſecundum animam Chriſtus diſcenderat, SS. Patres ibi detentos liberaturus, infernum mordens, multoſque ibi *exiſtentes, illumque* expectantes, inde ad-

adducens. Quod & per Oſeam prædictum jam fuerat ibi: *ero mors tua O mors; morſus tuus ero inferne: cap.* 13.

SED ET IN CÆLOS &c. Tertiò Chriſti *in Cœlos* Aſcenſionem comendat Eccleſia, dicens: *ſed &*, ideſt etiam, *in Cœlos*, ſeu ſuper omnes cœlos: *glorioſæ Aſcenſionis*, quia Chriſtus aſcendens in cœlum, ſuper omnes cœlos aſcendit. & quidem convenienter, ſicut enim, ut per Pſal. dicitur: *Pſal.* 18. *a ſummo cœlo fuit egreſſio ejus*, ita & conveniens fuit, ut *uſque ad ſummum ejus eſſet occurſus ejus*: ibid.

Quæ Chriſti aſcenſio *glorioſa* vocatur propter exercitum Angelicarum Virtutum aſſiſtentium. Dicitur etiam *aſcenſio*, & non aſſumpſio, ſicut de Virgine legitur: *Aſſumpta eſt Maria in Cælum*: quia propria virtute Chriſtus aſcendit.

Commendatur tandem Chriſti in cœlos aſcenſio ad ſpem noſtram amplificandam, ut ſperare poſſimus illuc nos aſcenſuros, quò Caput noſtrum aſcendit: *ut quo præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporit. S. Leo. Pap. ſerm.* 1. *de Aſcenſ.*

OFFERIMVS PRÆCLARÆ. Præclara vocatur Dei Majeſtas, quia eſt præ cœteris omnibus clara: quandoquidem ſi: *juſti fulgebunt ſicut ſol in Regno Patris eorum. Matth.* 13.: quantò magis Dei præfulget majeſtas. Huic igitur *Majeſtati tuæ* nos offerimus.

DE TVIS DONIS. Deo de ſuis *donis* offert Sacer-

Sacerdos, ac *datis*. Donum dicitur panis in Chriſti Corpus converſus: Datum vocatur vinum in ejuſdem ſanguinem mutatum, ita ut ſenſus ſit: nos Tibi offerimus: *de tuis donis*, ideſt de fructibus terræ, panem: *De tuis datis*, ideſt de fructibus arborum, vinum jam in tuum Corpus, & ſanguinem mutata; propterea offerimus tibi.

HOSTIAM PVRAM. Sacrificium hoc Hoſtia pura vocatur: *Hoſtia* quidem, quia Patri Æterno Unigeniti ejus Filii hoſtia viva offertur. *Pura* à fomite originalis peccati, quippe hic nedum originale peccatum non contraxit, imò nec ejus fomitem habere potuit

HOSTIAM SANCTAM. Vocatur etiam hoſtia *ſancta* per eſcluſionem cujuslibet peccati mortalis: de quo propterea dicitur 1. *Petr.* 2. *qui peccatum non fecit* & ad *Hebr.* 4. *tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*.

Hoſtia tandem *immaculata* vocatur abſque contagione, ſcilicet, peccati etiam venialis; qui propterea 1. *Petr.* 2. *Agnus immaculatus & incontaminatus* vocatur.

PANEM SANCTVM. Meritò Chriſti Corpus vocatur Panis *VITÆ ÆTERNÆ*, quia hominem nutrit, vitamque ſpititualem conſervat, æternamque confert beatitudinem: hinc de ſeipſo Chriſtus ſæpe dicebat: *Ego ſum panis vivus*: *Joann.* 6. & alibi: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: *ibid*.

San-

Sanctus vocatur hìc Panis, quia illius, eſt Corpus, qui omni ſanctitate fulget: hinc *Sanctus Sanctorum*, ideſt inter ſanctos ſanctiſſimus vocatur.

VITÆ ÆTERNÆ, tandem dicitur: quia ſicut materialis Panis naturalem vitam conſervat, ita & ſpiritualis, ſpiritualem, conſervat, imo æternam tribuit: *Nam qui manducaverit ex hoc pane*, ut ipſe Chriſtus teſtatur: *vivet in æternum*: *Joan. loc. laud.*

Et Calicem, ſanguinem ſcilicet in Calice contentum, qui quantum eſt de ſe æternam perpetuamque cauſat ſalutem, qui propterea per Pophetam calix ſalutaris dicitur: *Pſal.* 115. *calicem ſalutaris accipiam*, *& nomen Domini invocabo*.

§. SECUNDUS.

Explicantur verba a ſupraque, *uſque ad* immaculatam hoſtiam.

SUPRA QUÆ. *Dona* ſcilicet & *data*, jam tibi oblata, corpus nempe & ſanguinem Filii tui.

VULTU PROPITIO ac ſereno, placido videlicet, & benefico, & non irato ut nos ob peccata noſtra meremur: *ſereno*, inquam, non reſpiciendo peccata noſtra, propter quæ a te exaudiri minimè mereremur: ſcimus enim, quod tu peccatores non exaudis; *ſed reſpiciendo in faciem Chriſti tui*. Hæc

Hæc autem dicuntur de Deo Patre, non propriè, quod Deus habeat vultum, cum ſit purus ſpiritus, ſed metaphoricè: ſicut & dicitur habere oculos: *Oculi Domini ſuper juſtos. Pſalm.* 33. & brachium: *Fecit potentiam in brachio ſuo, Luc.* 1. & alia. Sicut ergo per *oculos* vigilantia, per *brachium* potentia, deſignatur ita & per *vultum*, in quo ſolet apparere ira, ſeu indignatio, & ſerenitas, denotatur Dei acceptatio; & propterea additur *propitio*, *ac ſereno*.

RESPICERE digneris: ſequitur adhuc verborum metaphor. ſenſus, [vultu enim reſpicimus,] *Digneris* ex tua tantum miſericordia, *RESPICERE* ideſt acceptare ſacrificium.

SICUTI &c. Particula hæc *ſicuti* ſimilitudinem notat, & non æqualitatem, nam multò acceptius eſt Miſſæ ſacrificium illo, quod Abel, Abraham, & Melchiſedech obtulerunt: quippe in noſtro verum Chriſti Corpus offertur & ſanguis, in illis vero animalia fructus, Panis, & vinum offerebantur. Propterea ſenſus eſt: eodem modo, quo pius ad Abelis Abrahæ & Melchiſedechi munera reſpexiſti, illa acceptando: majori ratione ad hæc, quæ tibi offerimus munera; pretioſum ſcilicet filii tui Corpus & Sanguinem Te reſpecturum confidimus.

ACCEPTA HABERE, ideſt acceptare *dignatus es*: per quæ verba non intelligitur quod Sacerdos mediator intromittatur inter

Deum

Deum Patrem & Chriſtum orando, ut ſacrificium illud Deus Pater acceptet, ſed in ordine ad Eccleſiam intercedit coram Deo Sacerdos, ut erga nos ejus oſtendatur pietas . peccata dimitendo, hoc ſacrificio mediante.

MUNERA: quæ Deo obtulit *ABEL* fuere de primis, & adipibus gregis ſui *Gen.* 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis Gregis ſui, & de adipibus eorum*. Hìc *puer* vocatur, ideſt ſervus; *puer* enim in Scriptura, præcipuè in Pſalmis, pro *ſervo* ponitur *Pſa.* 112. *Laudate pueri Dominum* & alibi.

TUI, ideſt: tibi obedientis, quippe ille verus eſt ſervus, qui omnia, quæ illi Dominus præcipit, exequitur. *Juſti*, ideſt innocentis, ſeu fidelis ex Apoſtolo: quippe: *Fide plurimam hoſtiam obtulit Abel . . . . per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus*. Ad *Hebr.* 11.

ET SACRIFICIUM . . . Abrahæ Sacrificium de quo hìc, intelligitur illud, de quo, *Gen.* 22. *tolle filium tuum unigenitum*; nempe Iſacci filii ejus, quem ipſe certè immolaret, niſi Angelus illius dextram retinuiſſet; in quo, licet ipſa immolatio defuerit, non defuit tamen animus immolandi; ideoque, licet vagè, verè ſacrificium vocatur: eodem enim modo quo de Abele loquitur Apoſtolus *Hebr.* 11. *fide plurimam hoſtiam obtulit Abel Deo*; loquitur etiam de Abraham, dicens: *Fide obtulit Abraham Iſac*: *loco cit*. Si ergo Abelis verum vocatur ſacrificium, & Abrahæ filius etſi non immo-

immolatus, verum poteſt, licet impropriè, dici ſacrificium. Hic Abraham dicitur noſter Patriarcha, ſeù primus Pater; & quidem omnium credentium, quippe illum vocat Eccleſia: *Patrem fidei noſtræ*. Hujus præ cæteris fides in Scriptura pluries commendatur; quia ſtatim Deo credidit, in quo & omnes Tribus terræ benedictæ ſunt, propterea omnium per fidem credentium Pater, ſeù Patriarcha vocatur, de quo: *Apoſtolus ad Rom. 4. ei, qui ex fide eſt Abrahæ,* (intellige promiſſio eſt facta), *qui pater eſt omnium noſtrum*.

ET QUOD: nempè Sacrificium; & ſenſus verborum eſt; & illud *Sacrificium Sanctum &c. quod tibi &c.*

Et quidem tunc obtulit ſacrificium Melchiſedech, cum rediens Abraham à cæde Chodorlahomor & aliorum Regum, ut legitur: *Gen.* 14. Melchiſedech, (poſt quam ex omnibus, quæ tulerat Abraham decimas ei dediſſet) *cum eſſet Sacerdos Dei altiſſimi* Gen. 14. Abraham benedicens obtulit ei panem & vinum, quæ figura erant Sacrificii Chriſti, qui panem & vinum in ſuum corpus & ſanguinem erat converſurus, de quo propterea per Prophetam *Pſalm.* 109. dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: quod clarius explicans Angelicus *in* 1. *Antiph. veſp. SS Corporis Chriſti*, ait: *Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundum ordinem Melchiſedech*: & quare? Quia *panem, & vinum obtulit*.

SAN-

SANCTUM &c. Sacrificium hoc, quod obtulit Melchiſedech *ſanctum* vocatur, non quidem in figura, ſed in figurato: ſicut, & dicitur *hoſtia immaculata*, quia fuit ſpecialis figura hujus ſacrificii immaculati. Hæc verba a S. Leone Papa addita in canone fuere.

Quare autem Eccleſia in Canone, licet plures fuerint, qui ſacrificia Deo obtulere: ut a diluvio *Moyſes* poſt trauſitum maris rubri, & alii innumeri: quare, inquam, *Abelis*, *Abrahæ*, & *Melchiſedechi* ſacrificiorum meminit?

Hæc fortaſſe ratio eſſe poteſt: quod hi tres ſpecialiter Chriſtum in carne venturum præfigurarint. *Abel* namque juſtus, innocens, a fratre per invidiam occiſus, quomodo Chriſtum Dominum a Judæis fratribus, ejuſdem Matris Synagogæ filiis per invidiam traditum ac occiſum. *Matth* 27 *ſciebat enim, quod per invidiam tradidiſſent eum*; non præſignabat? Ita ut conqueri non immerito cum Sacri Cantici ſponſa poſſet, dicens: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Cant.* 1.

Iſac unigenitus ac maxime Abrahamo dilectus, cui nec Pater, ut Deo obtemperaret, perpercerat; *non pepercisti unigenito filio tuo propter me*: *Gen.* 12. ecquem magis, quam Chriſtum præfigurabat? Cui, ut ut maximè Deo Patri dilecto *filio non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Ad Rom.* 8. Addo quod cùm Iſac fuerit immolatus, quin occideretur, eſt certè figura Chriſti, qui immolatus

molatus utique fuit, ſed reſurexit: & hoc eſt, quod Chriſtus *Joann.* 8. de Abrahamo dixerit: *Abraham ... vidit diem meum, & gaviſus eſt.*

Melchiſedech tandem ſacrificium, vel lippis, & tonſoribus eſt notum, Chriſti ſacrificium præfiguraſſe, ut multis jam oſtendimus.

§. TERTIUS.

Explicantur verba Supplices Te, *uſque ad verba*; gratia repleamur.

SUPPLICES ergo, humiles ſcilicet, & de tua tantum miſericordia confidentes. *Te rogamus*: vide ſupra. *Omnipotens Deus*: o Deus nempè, qui omnia potes, propterea confidimus, quæ petimus, obtenturos; quippe tu ipſe nobis *Luc.* 11. promiſiſti: *petite, & dabitur vobis, pulſate & aperietur vobis.*

Jube: nam es Dominus Angelorum, & ideo illis præcipere potes, ut id, quod petimus, exequantur.

Hæc: corpus ſcilicet, & ſanguinem filii tui Domini noſtri, ſecundum aliquos; vel vota preceſque fidelium, ſicut preces Tobiæ per manus Angeli in conſpectu Altiſſimi delatæ fuere: *Ego obtuli orationem tuam Domino*: ſunt verba Angeli Tobiam alloquentis. *Tob.* 12. *Perferri* ſecundum gratam acceptationem, oſtende, ſcilicet, eſſe tibi accepta, per hoc, quod jubeas ea *perferri*.

PER MANVS S. Angeli tui: miniſterio, ſcilicet, Angelorum; quippe hi ſunt adminiſtratorii ſpiritus, hi noſtras orationes, preceſque ad Deum deferunt; *Salvatorum*, namque *per Chriſtum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Hil. in Matth. cap. 18.*

IN SUBLIME &c. Ideſt in cœlum; Nam in cœlis nullum credimus altare ſenſibile extare, ut falsò putarunt Hæretici, ſed ſpiritualiter intelligitur, quemadmodum Thronus, Tabernaculum &c. Altare ergo hoc eſt conſpectus Divinæ Majeſtatis. Hinc Eccleſia explicans, quodnam ſit hoc altare, addit: *In conſpectu Divinæ &c.*: Super hoc igitur altari Angelorum miniſterio delatum Sacrificium imponitur, ut ſic Sacrificii hujus Filii ſui Deus Pater ſuavitatis odoretur odorem.

UT QUOTQUOT; Omnes, ſcilicet, ſive de Clero, ſive de populo, qui: *Ex hac altaris participatione ſumpſerimus*; qui, nempe ex hoc altari participamus & ſumimus: *Sacroſanctum Filii tui Corpus*; Sacroſanctum, inquam, quia Spiritus Sancti ope de puriſſimo B. M. V. ſanguine coagmentatum, & Divino Verbo hypoſtaticè unitum. *Et ſanguinem* pro nobis in paſſione fuſum; *Omni benedictione &c.* omnibus ſcilicet bonis, & virtutibus a Te omnium bonorum largitore repleamur; *Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.*

CAPUT QUINTUM.

De Quinta Canonis Parte.

QUinta Canonis Pars ab illis incipit verbis: *Memento etiam &c.* & ad conclusionem usque terminatur: de hac igitur sit.

§. UNICUS.

Explicantur singula hujus orationis verba; Memento etiam Domine.

MEMENTO *&c.* Quomodo verbum hoc de Deo dicatur, recole quæ diximus in explicatione ejusdem: *Dissert.* 10. *cap.* 1. §. 2. *Etiam*: particula hæc conjunctiva est, & talem reddit hujus orationis sensum: sicut, o Domine, te rogavimus, ut effusus tuus sanguis ad salutem profit viventium; ita nunc rogamus te, ut prosit *etiam* ad condonandam pœnam Defunctorum, *famulorum &c.*

QUI NOS præcesserunt, ideſt ante nos ex hac mortali vita decesserunt, æternam consecuturi; & quidem, qui ante nos mortui in Christo sunt *cum signo fidei*, sacramentis nempe Ecclesiæ muniti, seu baptismo, qui est signum fidei per characterem in anima impressum, quo ab infidelibus secernimur; non minùs ac in lege veteri circumcisio, quæ baptismi figura fuit, signaculum quoddam erat, per

quod ille populus ab aliis diſtinguebatur, *ad Rom 4. Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei.*

ET DORMIUNT. Mors illorum, qui in gratia deceſſerunt, in ſcriptura ſomnus vocatur, & defuncti in gratia dormire dicuntur, quia ſicut dormiens è ſomno vigilat, & quaſi redire videtur ad vitam, ſic & in gratia mortui ad æternam vitam in die Judicii reſurrecturi, dormire dicuntur in *ſomno pacis*. Hinc eſt quod de juſtorum morte per Pſal. dicitur: *Pſalm. 126. Cum dederit dilectis ſuis ſomnum.*

Hìc Sacerdos Defunctorum, pro quibus orare intendit, memoriam agat: propterea ſicut ſupra aſſignavimus methodum pro vivis, ita & hìc aliam aſſignamus pro mortuis.

Proponat igitur ſibi Sacerdos quinque vulnera Chriſti in Cruce pendentis, & in illo manus dextræ commendat animas, pro quibus Sacrificium applicavit. In ſecundo manus ſiniſtræ animas parentum & affinium. In tertio pedis dextri Pontifices, Prælatos, Sacerdotes, & omnes Eccleſiaſticos ordines, Eccleſiarum Benefactores, & qui curam habuerunt animarum, earumque ſaluti cooperati ſunt. In quarto ſiniſtri ſuos amicos, benefactores ſibi commendatos, & eos pro quibus Deus ſcit, & vult ipſum orare. In quinto tandem ſanctiſſimi lateris animas eorum, qui miſerimè in purgatorio exiſtunt, & quorum non eſt ſpecialis memoria. *DO-*

DOMINE Pater nos omnes *deprecamur*, ego ſcilicet, & adſtantes omnes, totaque Eccleſia, *ut indulgeas* ex tua miſericordia; *ipſis*, quorum ſpecialem habuimus memoriam, *& omnibus in Chriſto quieſcentibus*, & illis omnibus generaliter, qui in Chriſti fide defuncti ſunt.

LOCUM REFRIGERII, in quo nempo non eſt ardor pœnarum: *Lucis*, in quo nulla eſt tenebrarum obſcuritas: *& Pacis*, in quo nulla eſt afflictio.

Locus hic beatitudo eſt, quæ refrigerii, lucis, & pacis locus vocatur. *Refrigerii* quidem, quia in cœleſti illa Jeruſalem non amplius *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*. *Apoc.* 21. Dicitur etiam: *Lucis*: illam ſiquidem *Dei claritas illuminabit, & lucerna ejus eſt Agnus*, ita ut *ambulabunt Gentes in lumine ejus*: *Apoc.* 21. *Pacis*, cum ibi æterna pace beati fruantur: nam in ea Civitate *omne maledictum non erit amplius* (ideſt nullum maledictum erit) *Apoc.*22. *Per Dominum &c.*

CAPUT SEXTUM.

De ultima parte Canonis.

ULtima Canonis Pars, ut ſupra diximus, ab illis incipit verbis: *Nobis quoque peccatoribus* ad uſque ejuſdem concluſionem, de hac in hoc ultimo.

§. UNICUS.

Explicantur ſingula hujus orationis verba:
Nobis quoque peccatoribus.

NOBIS QUOQUE &c. Defunctorum animabus jam commendatis, Sacerdos Deum deprecatur, ut & omnes fideles in hac vita ſuperſtites per ejuſdem ſacrificii virtutem ad eandem perducat beatitudinem, eandemque cum Beatis in cœlo, qua hi fruuntur, gloriam illis concedere dignetur æternam.

NOBIS QUOQUE, ideſt mihi, & omnibus adſtantibus, atque aſſiſtentibus, imo & cunctis fidelibus, qui ad hoc Sacrificium aliquo modo concurrunt.

PECCATORIBUS, qui peccatores ſumus & labendo faciles. Hæc verba dicens Sacerdos, elevat vocem, ad denotandos gemitus & clamores pœnitentium cauſa ſuorum peccatorum: *Mac. Hierol. verb. Can. Miſſæ.*

FAMULIS TUIS per tuorum obedientiam mandatorum, & ideo ad te recurrimus. *De multitudine &c.* qui ſcilicet ſperamus in maxima miſericordia tua, quæ omne noſtrum delictum excedit; in qua Propheta confiſus remiſſionem petiit peccatorum, dicens: *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam*, *Pſalm.* 50.

PARTEM ALIQUAM, participationem nempe beatificam. *Et ſocietatem cum ſan-*

ſanctis Apoſtolis, & Martyribus tuis, ut poſſimus ſocii eſſe in beatitudine cum Sanctis Apoſtolis, & Martyribus tuis, quos firma fide credimus Deum videre, ſicut & volumus in hac vita ſocii eſſe paſſionum: *ſi enim compatimur, ut & conglorificemur, ad Rom.* 8.

CUM JOANNE &c. Joannes hic, quicquid alii dicant, eſt *Baptiſta*, quippe in liturgiis Baſilii, & Chryſoſtomi exprimitur: *Joanne Baptiſta*. Hic Joannes Zachariæ, & Eliſabeth Filius, ex ſterili matris ſuæ utero ſanctificatus, Domini præcurſor venerat; de quo per *Malach.* 2. prædictum erat: *ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*.

Et quidem hic viam Domino præparaturus in eremo venerat. Iſte trigeſimo ſuæ ætatis anno in deſertum ſeceſſit, ubi Cameli pilis indutus, & pellicea zona accinctus lumbos, cui locuſtę cum melle victum & aqua poculum præbebat, per omnem Regionem Jordanis ibat pœnitentiæ baptiſmum prædicans in remiſſionem peccatorum. Hic ab Herode, quem graviter arguebat, quod Herodiadem fratris ſui Philippi uxorem, accipere ſibi in uxorem non vereretur, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui, Marc.* 6.; in carcerem miſſus erat, ac tandem in præmium Herodiadis ſaltantis, quæ afferri ſibi in diſco Caput Joannis matris monitu petierat; in carcere convivali tempore decollatus eſt: cujus

Martyrii memoria ad IV. Kalend. Septembris recolitur.

STEPHANO. *Stephanus* hic unus eſt ex illis ſeptem Diaconis ab Apoſtolis, ut menſis miniſtrarent, deputatis; ut legitur *Act.6.& elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu Sancto &c.*

Hic cum plenus gratia, & fortitudine, ut legitur *Act.loc. laud.* Judæorum incredulitatem, & impietatem prolixa oratione exprobraſſet; tandem quod cœlos apertos, ac Jeſum ſtantem a dextris virtutis Dei vidiſſe teſtatus eſſet: lapidibus a Judæis obrutus, ad cœleſtem Martyrii palmam VII. Kalen Januarii evolavit.

Cur autem hic Stephanus non Apoſtolus, Matthiæ Apoſtolo præferatur? ratio eſſe poſſet, quod hic Eccleſia tempus ſervavit paſſionis, & non ordinem nobilitatis; cum autem Stephanus ante Matthiam paſſus ſit, meritò Stephano poſtponitur, ſicut hic Joanni Baptiſtæ,

MATTHIA. *Matthias* iſte Apoſtolus eſt, qui non a Chriſto fuit, ſicut alii vocatus, ſed poſt Chriſti aſcenſionem ab Apoſtolorum concilio per ſortem electus, *Act.1. & cecidit ſors ſuper Matthiam*, in locum Judæ proditoris ſuffectus eſt, ut adimpleretur, quod dictum erat per Prophetam, *Pſalm.* 108 *Fiant dies ejus pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter*: & hoc eſt, quare non fuerat in Apoſtolorum albo

albo in prima oratione numeratus. Hic tandem Apoſtolicum munus VI. Kal. Februarii Martyrio coronavit.

BARNABA. Barnabas hic, qui & *Joſeph* cognominatur, Cyprius genere, peragratis quam plurimis orbis partibus, cum in Cyprum unà ſimul cum Joanne, qui & Marcus cognominabatur veniſſet: ibi circiter VII. Neronis annum, pridie Idus Junii Martyrio coronatus eſt.

IGNATIO. Glorioſiſſimus hic ille eſt *Ignatius*, qui Apoſtolorum contemporaneus, diſcipulus fuit Joannis, tertius poſt D. Petrum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus: Trajani anno XI. ad beſtias Romæ damnatus, Kalen. Februarii Martyrium ſubiit.

ALEXANDRO. Iſte patria Romanus, VI. a Divo Petro Pontifex, Evariſti ſucceſſor, ille eſt, qui in Canone verba addidit: *Qui pridie, quam pateretur.* Hic decretum fecille dicitur, ut in Miſſæ Sacrificio ſolus panis, & vinum offerrentur, & quod vino paululum aquæ admiſceretur: inſuper ut aqua aſperſo ſale benediceretur, atque ad domeſticum uſum aſſervaretur: & poſt multa miracula, diris cruciatibus affectus, unà cum Eventio, & Theodulo Romæ, ſub Adriano Imperatore, ad martyrii palmam V. Nonas Maji evolavit.

MARCELLINO & PETRO. Primus Presbyter fuit, & alter Exorciſta: hi Romæ ſub Diocletiano Imperatore a Severo Judice

dice propter Fidei confeſſionem martyrio abſciſſo capite, IV. Nonas Junii, coronati ſunt.

FELICITATE. Poſt memoriam Sanctorum, Eccleſia illam etiam recolit Sanctarum Martyrum: & primo *Felicitatis*. Hæc nobilis fœmina vidua, & ſeptem filiorum Mater, quibus omnibus ob illius oculos crudeliter tortis, & acerbiſſimè necatis, ultima omnium, nonis Martii martyrium perpeſſa eſt.

PERPETUA. Hæc virgo virginitatis laureolam martyrii coronæ adjunxit: Martyrio ſiquidem coronata eſt eodem die, quo beata Felicitas, ſed non eodem anno, ſecundum plures AA.

AGATHA. Nobilis hæc virgo in Sicilia nata, in Decii Imperatoris perſecutione, quod Quintianus Siciliæ Prætor illius amore captus, tentataque modis omnibus ejus pudicitia, illam in ſuam ſententiam perducere non poſſet: ob Chriſti fidem admotis primum candentibus laminis in Equuleo torta, mox amputatis mammis in carcerem detruſa eſt, ubi ab Apoſtolo Petro curata, iterum in acutis teſtulis, & candentibus carbonibus ei ſubjectis volutatur: Et tandem ſemimortua in carcerem reducta, ad duplicem virginitatis, & martyrii palmam ad ſponſum Catanæ nonis Februarii evolavit.

LUCIA. Virgo hæc Siracuſana a Sponſo, cui eam Parentes contra illius voluntatem deſponderant, quod Chriſtiana eſſet, apud

Paſ-

Paſchaſium accuſata fuit : quamobrem accenſis primùm circum ipſam pice , reſina: ferventi oleo dein perfuſa eſt. A quâ,cùm circum accenſa flamma refugiſſet ; illi tandem excruciatæ guttur gladio transfigitur : ſicque Syracuſis , Diocletiano , & Maximiano Imperatoribus , Idibus Dec. ſpiritum Deo reddidit .

AGNETE . *Agnes* , hæc virgo Romana fuit , quæ ſecundum *Ambroſ. de Virg. lib.* 1. *poſt init.* ætatis ſuæ anno XIII. martyrium ſubjiſſe legitur , & abſciſſo capite ad duplicem, & virginitatis , & martyrii palmam , 12. Kalen. Februar. evolavit ad ſponſum .

CÆCILIA . Virgo hæc clariſſimo Romanorum genere orta, ſub Almachio tunc Urbis Præfecto , Valeriano priùs , ac Tiburtio fratribus ab eadem ad fidem converſis , & martyrio coronatis,omnium ultima in ipſius Ædes reducta,in balneo comburi juſſa eſt,a qua cum flamma refugiſſet, ter ſecuri percuſſam,cum ei caput carnifex abſcindere non poſſet, ſemivivam reliquit: quæ triduo poſt ſupervivens, domum ſuam in Eccleſiam conſecravit, ut ipſamet teſtatur , in ejus officio: *Triduanas a Domino popoſci inducias , ut domum meam Eccleſiam conſecrarem* , quod quidem obtinuiſſe legitur, tandem x. Kalen. Decemb. Alexandro Imperante martyrio coronata eſt .

ANASTASIA . Hæc tandem Virgo Romana Illuſtriſſimi Prætextati filia poſt multos varioſque labores , demum ignis incendio

triumph-

triumphavit: cujus memoria VIII. Kalendas Januarii recolitur.

ET OMNIBUS. Poſtulato Sanctorum in particulari ſuffragio, ad Sanctorum poſtea omnium generaliter auxilium, juvamenque confugit Sacerdos, dicens: *& omnibus &c. Intra quorum conſortium*, ideſt, ejuſdem ſortis, ac gloriæ participationem; quippe Apoſtolo teſte: Nos *compatimur*, *ut & conglorificemur*: *ad Rom.* 8. Quæſumus, ut *Nos*: me ſcilicet Sacerdotem, adſtantes omnes, imo & univerſos fideles. *Non æſtimator meriti*, ideſt, non conſiderans id, quod propter noſtra peccata meremur; Si hæc enim reſpexeris, nos certè non exaudies. *Sed veniæ quæſumus largitor*, ſcilicet ex tua miſericordia parcens: *admitte*, in conſortium nempe, & Beatorum participationem, ut diximus. *Per Chriſtum &c.*

PER QUEM, nempe Chriſtum: *Domine*, Pater omnipotens: *hæc omnia*, panem ſcilicet, & vinum, quæ fuerunt non quæ ſunt, nam nunc ſunt Corpus Chriſti: *ſemper bona*; ideſt, valde bona, ſeu optima. *Creas* illa producendo. Et quidem Deus omnia verbo, & per Verbum creavit: Verbo quidem *fiat*, ideſt ejus imperio, ut legitur *Gen.* 1. non quod Deus loquitur, ſed ipſius Imperium per verbum *fiat* exprimitur: Hinc *Pſalm* 148. dicitur: *Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt*. Per Verbum, quia Deus omnia per Verbum, Filium ſcilicet, fecit: *Omnia per Ipſum*

ſum facta ſunt. Joan. 1. Illa *ſanctificas*, benedicendo: *Vivificas*; tranſubſtantiando in vivam creaturam: *benedicis*, accumulando gratiam, & benedictionem: & *præſtas nobis* in cibum per liberaliſſimam largitionem.

PER IPSUM concludit iterum orationem Sacerdos; dicens: *Per ipſum* nempe Chriſtum uti Mediatorem, per quem hæc omnia creaſti. *Cum ipſo*, uti a te perſonaliter diſtincto, *& in ipſo*, uti conſubſtantiali. *Eſt Tibi Deo* per naturam, & vero: *Patri omnipotenti*, vide ſupra verb. *Pater*: *omnis honor, & gloria*, ſive in cœlis, ſive in terris. Et quidem *Tibi ſoli*, nam ex Apoſtolo 1. *ad Timot.* 1. *Soli Deo honor & gloria*, debetur: *In unitate Spiritus Sancti*, ideſt unà cum Spiritu Sancto, qui eſt unus in natura cum Te, Deo Patre, & Filio. *Per omnia &c.* Hìc terminatur Canon, ut diximus in principio hujus Diſſertationis.

DISSERTATIO XI.

De orationibus, quæ poſt Canonem ſequuntur.

EA, quæ in Miſſali, terminato Canone, ſequuntur, ab orationis Dominicæ præfatione ad uſque Miſſæ finem in præſenti Diſſertatione notemus: In Præparationem, Communionem & Gratiarum actionem, in ſequenti Capite dividendo.

CA-

CAPUT UNICUM.

De Præparatione ad Communionem, Communione, & gratiarum actione.

HUjus Capitis partes tres ſunt: Prima quæ incipit ibi: *Præceptis ſalutaribus &c.* & terminatur ibi; *Perturbatione ſecuri* Secunda a concluſione hujus orationis uſque ad purificationem. Tertia a purificatione uſque ad finem Miſſæ. Prima vocatur *Præparatio* ad communionem. Secunda *Communio*. Tertia *Gratiarum actio*: de his in ſequentibus

§. PRIMUS.

De præparatione ad Communionem. Explicantur breviter verba ad hanc partem ſpectantia.

DIcto per Sacerdotem; *per omnia ſæcula &c.* orationem Dominicam dicturus, præfationem præmittit, dicens.

Oremus: ego ſcilicet, & omnes adſtantes. Hoc breve Proemium ante orationem Dominic. a Greg. magno additum fuiſſe autumat *Radulph.* alii S. Cyprianum faciunt Auctorem.

Præceptis: Evangelicis, & Apoſtolicis, *ſalutaribus*, ideſt ad noſtram ſalutem utilibus; *Moniti* & quidem a noſtro Magiſtro Chriſto; ad magiſtrum quippe monere ſpectat: *& divi-*

na

na inſtitutione formati; firmiter ſcilicet a Deo ipſo erudi ti, qualiter orare deberemus *Matth. 6. ſed ſic orabitis: Pater noſter &c.* Nos *audemus dicere*; confidenter nempe accedendo, petimus, & dicimus: *Pater noſter, &c.*

Oratio hæc, quæ ſequitur Dominicalis, a Sanctis Patribus aliquando vocatur emboliſmus, ſeu interca ata, quia interponitur in hoc loco Hinc *Petrus Bleſſen ſerm.* 46. ait: *in emboliſmo ſecreto orat pro pace danda*; dicitur ſub ſilentio ad denotandum ſilentium tempore Chriſti ſepulturæ: infer. 6. verò in Paraſc. alta voce pronuntiatur ad ſignificandam manifeſtam Salvatoris victoriam, Cruce mediante, obtentam,

Libera nos quæſumus Domine: ideſt, o Domine, cum poſſis nos ab omni malo & culpæ, & pœnæ liberare, cum ſis omnipotens & miſericors: *quæſumus libera* nos, ideſt jube, ut nos liberemur.

Ab omnibus malis & culpæ, & pœnæ: *Præteritis*, a culpis nempe, quibus te offendimus delendo illas per contritionem, & confeſſionem. *Præſentibus*, nempe ab anguſtiis, & tribulationibus, quas patimur. *Futuris*, ſeu inſidiis, & tentationibus ad culpam nos protrahere conantibus,

Et intercedente juxta ſuum officium: *Beata*, quia Chriſtum in ventre portavit: ut canit Eccleſia: *Beata es, Maria, quæ credidiſti &c.* Imò. *Et glorioſa*, quia ad dextram ſummi Regis

gis in altiſſimis habitat, de qua per Pſalmiſtam dicitur : *Aſtitit Regina a dextris tuis*: *Pſal.* 44.

Semper Virgine &c. Vide ſupra *ſemper Virginis*. *Vnà* ideſt ſimul *cum Apoſtolis tuis Petro, & Paulo, atque Andrea*.

Quæri hic poſſet cur quatuor hæ tantum nominentur perſonæ, nempe: *Maria*, *Petrus*, *Paulus*, & *Andreas*? Quæ quidem ratio eſſet, quia hæ tantum fuerunt ſpecialiter Chriſti paſſioni configuratæ: *Maria* ſiquidem, quia ejus animam in paſſione Chriſti, doloris acutiſſimus gladius pertranſivit: *Luc.* 2. *Petrus*, quia corpore inverſo Crucifixus eſt: *Paulus*, *quia Stigmata* Jeſu Chriſti in ſuo corpore portabat: idem ad *Galat.* 5. *Andreas* tandem, qui Crucifixus ultimum diem obiit.

Et omnibus ſanctis: recurrit tandem ad omnium Sanctorum interceſſionem, ut ſupra dixi. *Da*, ſeu concede: *propitius* per contritionem noſtram placatus: *pacem*, illam, quam dediſti Apoſtolis, de qua infra. *In diebus noſtris*, quibus ſcilicet in hac vita mortali vivimus, concede, inquam, nobis pro tua pietate. *Vt ope*, ideſt auxilio, *tuæ miſericordiæ adjuti*, quippe ex juſtitia puniri meremur: & *ſimus ſemper liberi*, a peccato, præterito ut remittatur, & futuro, ne in illud incidamus, *& ab omni perturbatione*, tumultu ſcilicet, *ſecuri* ſimus, & tuti.

§. SE-

§. SECUNDUS.

De Communione. Explicantur ſingula verba ad hanc partem pertinentia.

PEr eundem Dominum noſtrum &c. *Pax Domini*, de qua ſupra, & quam poſt reſurrectionem cœnaculum, januis clauſis, ingreſſus dedit diſcipulis ſuis, dicens: *Pax vobis Joan. 20. Sit ſemper vobiſcum*, ideſt vobiſcum maneat.

Hæc commixtio CORPORIS, ET SANGUINIS, ideſt hæc mixtio ſpeciorum panis cum illis vini, *& conſecratio ante* facta, *Fiat*, ideſt fac, o Deus, ut evadat, vide ſupra: *fiat nobis Corpus, & Sanguis*: fiat, inquam, *accipientibus nobis* mihi ſcilicet, & omnibus accipientibus illam Sacramentaliter, ut Sacerdotes, vel ſpiritualiter, ut alii adſtantes: *in vitam æternam*, ad vitam ſcilicet æternam obtinendam.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi &c. o Tu ſcilicet, qui es Agnus Dei, de quo Joannes: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi Joan. 1.* auctoritativè quidem per tuam potentiam, cum ſis & ipſe Deus: *quis enim poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus: Luc. 5.* & meritoriè per tuam paſſionem.

Sergius Papa ter *Agnus Dei* proferri ſtatuit, cum antea ſemel diceretur: *Baron. ann. 107.* ter quoque dicebatur *miſerere nobis*, quem ritum adhuc Baſilica Lateranenſis reti-

net; ob continua autem ſchiſmata, & Eccleſiæ tribulationes Inn. XX.II. edixerat, ut in tertia vice adjiceretur: *dona nobis pacem*.

Domine Jeſu Chriſte, qui ex hoc mundo ad Patrem migraturus: *dixiſti Apoſtolis tuis*, illos relinquendo: *pacem relinquo vobis*, illam certè, quæ vinculum eſt charitatis, propter quam Patrem rogaſti, ut fideles fiant unum, in charitate ſicut tu, & Pater unum eſtis in natura, dicens: *ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus*: *Matth.* 17. rogo te; *Ne reſpicias peccata mea* perſonalia, ſed reſpice benignus *fidem Eccleſiæ tuæ*; fidem, inquam, in qua illam tibi deſponſaſti: *eamque ſecundum voluntatem tuam*, ideſt juxta tuam piiſſimam voluntatem; *digneris pacificare* a perfidis infidelibus, & *coadunare* in vinculo fidei, & charitatis; *qui vivis &c.*

Domine Jeſu Chriſte, qui ex voluntate miſericordioſiſſima *Patris*, *cooperante Spiritu ſancto* ad tui corporis formationem: *per mortem tuam*, quam nempe voluntarie toleraſti: *oblatus eſt, quia ipſe voluit Iſai.* 58. Tu miſericors *mundum vivificaſti*, ideſt vitam ſpiritualem mundo, ſeu hominibus præſtitiſti tunc, cum *tradidiſti in mortem dilectam animam tuam, ut vivificares populum tuum. Ex Iſai. ibid.* Rogo te; *libera me* Sacerdotem: *per hoc Sacroſanctum Corpus & Sanguinem tuum*, quia ſacratiſſimo tuo divino verbo unitum: *ab omnibus iniquitatibus meis* nempe peccatis, & *uni-*

universus malis, animæ priùs, dein corporis: & *fac me tuis inhærere mandatis*, concede scilicet, ut semper in hac vita tuis ego obediam mandatis: *& a te numquam separari permittas*, in hac vita quidem per peccatum mortale, & in alia per horrendam reprobationis sententiam: *qui cum eodem &c.*

Perceptio, ideſt ſumptio *Corporis tui Domine Jeſu Chriſte*, quod mox ſumpturus ſum: *quod ego indignus* propter tot mea peccata commiſſa, & ob fervoris tepiditatem: *ſumere præſumo* non de mea juſtitia, ſed de tua miſericordia confidens: *Non mihi proveniat in judicium, & condemnationem*, non ſit mihi nempe cauſa judicii, & condemnationis per hoc, quod illud indigne ſumam: *ſed pro tua pietate*, qua me nullis meis meritis ad hunc gradum vocare dignatus es: *proſit mihi ad tutamentum mentis & corporis*, ut ſcilicet præſervet me, ne in futurum peccato alicui conſentiam, corpuſque ab omni inquinamento retraham: *& ad medelam* cùm animæ tum & corporis *percipiendam*: *qui vivis &c.*

Panem cæleſtem accipiam: panem, inquam, illum, qui de cœlo deſcendit, ut multis ſupra oſtendimus; Panem Angelos reficientem, de quo per Pſalmiſtam in manna figurato, dicitur: *panem Angelorum manducavit homo Pſal. 77.* & accipiens *nomen Domini invocabo*, ideſt Domini nomen, collaudabo ut illam nunc mihi præſtet miſericordiam, quam puro

corde illum comedentibus præſtare ſolet: *Domine non ſum dignus* ex mea juſtitia, operatione, & præparatione, *ut* tu, o Deus *intres ſub tuum meum*, domum nempe conſcientiæ meæ; ſed *tantum dic*, ideſt impera *verbo* virtutis tuæ, *& ſanabitur anima mea*, ab omnibus morbis atque peccatis: *Corpus D. N. J. C.*, quod jam ſumpturus ſum, pro totius mundi peccatorum expiatione in Cruce Immolatum, *cuſtodiat* in unitate fidei Catholicæ, & a peccatis *animam meam in vitam æternam*, ideſt ad beatitudinem: *Amen*.

Quid ego cinis, & pulvis vitiiſque plenus *retribuam Domino* cœli, & terræ, cujus *eſt orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo Pſalm.* 23. quid inquam reddam *pro omnibus*, bonis *ſcilicet*, *quæ retribuit mihi* in ſumptione Corporis ſui: *calicem ſalutaris accipiam*; calicem ſalutis ſeu Chriſti Sanguinem ſumam: *& nomen Domini invocabo* ob tot mihi exhibita beneficia: *laudans* ſemper in meis neceſſitatibus, & nunc magis: *invocabo Dominum* Chriſtum, qui & ſuum Sanguinem pro me fudit, illumque mihi in potum tribuere dignatus eſt; *& ab inimicis meis ſaluus ero* ex tanti beneficii virtute: *Sanguis D. N. J. C.* vide ſupra *Corpus*.

Quod ore ſumpſimus Domine. Sacramentum ſcilicet Corporis & Sanguinis tui, quod per modum cibi, potuſque ſpiritualis accepimus: *pura mente ſeu* puro corde, *capiamus*; illius nem-

nempe fructum percipiamus: *& de munere temporali*, quod ex tua liberalitate accepimus, quantum ad ſpecies viſibiles, tranſitorium: *fiat nobis* ſumentibus *remedium* contra ſpirituales morbos; *ſempiternum*.

Corpus tuum Domino verum & reale, *quod ſumpſi* ſub ſpecie panis: *& Sangais*, *quem potavi* ſub ſpecie vini: *adhæreant viſceribus meis*, non quidem corporalibus, ſed ſpiritualibus nempe intellectui, & voluntati: *& præſta*, ex tua benignitate, *ut in me*, qui jam hæc Sacramenta ſumpſi, *non remaneat ſcelerum macula*, deturpans animam meam per bona, & beneficia jam exornatam, *quem*, me *ſcilicet* Sacerdotem, *pura* per privationem omnis maculæ peccati, *& Sancta* omnium virtutum & gratiæ plenitudine, *Sacramenta* ſpecies ſcilicet panis & vini, *Refecerunt* inflammando intellectum ad tui cognitionem, & voluntatem ad tui amorem accendendo: *qui &c.*

§. TERTIUS.

De Gratiarum actione extra Miſſam.

GRatiarum actio dupliciter a Sacerdote fieri poteſt in Miſſa nempe, & poſt Miſſam: in Miſſa fit dicendo: *Poſtcomm. orationes ſequent. Placeat & Evang. S. Joannis*, vel aliud in fine. Altera, quæ fit terminata Miſſa: de qua tantum loquimur.

Modus gratias agendi extra Miſſam non eſt determinatus: multi ſiquidem gratias agunt horas Canonicas perſolvendo; alii proprias devotiones recitando, alii tandem orationes in tabulis poſitas dicendo:

Modus autem communior gratias agendi extra Miſſam eſt nihilominus ille, qui in tabellis, de quibus alibi diximus; præſcribitur.

Sacerdos ergo ab altari rediens, per viam, ne tempus illud otiosè tranſigat, dicat Antiph. *Trium puerorum*, quæ dicitur more duplici in feſtis duplicibus, cui additur alleluja tempore Paſchali: more autem ſemid. dicitur in ſemiduplicibus; & in Miſſis defunctorum:

Deinde recitet Canticum *Benedicite*: quo finito replicatur Antiph. in fine cujus additur *alleluja* in tempore Paſchali; & dicuntur dein orationes pro Sacerdotis opportunitate.

DISSERTATIO ULTIMA.

De ſtipendio Miſſæ.

PLuribus de cauſis Sacerdos ſacrificium celebrare tenetur, de quibus autem eruditiſſimè Moraliſtæ, qui in hanc materiam ſcripſerunt, tractant; & Canoniſtæ: nos verò de una tantum, quæ omnibus eſt generalior, agemus breviſſimè in ſequenti, quæque ſtipendium eſt, quod Sacerdoti celebraturo in eleemoſynam pro Miſſa datur.

CA-

CAPUT UNICUM.

De Miſſæ ſtipendio.

NUlli dubium eſt, quod Sacerdos celebraturus poſſit pro labore ſtipendium ſumere: quippe labor eſt pretio æſtimabilis; & quidem titulo ſuſtentationis; juxta illud: *qui altari ſervit, de altari vivere debet*: quærimus ergò de hoc: quodnam dicitur juſtum ſtipendium; & quot pro una Miſſa ſumere poſſit ſtipendia Sacerdos.

§. PRIMUS.

De juſto Miſſæ ſtipendio.

LIcet plures DD. doceant illud dici juſtum ſtipendium Miſſæ, quod ſufficit integræ, ſuſtentationi unius diei; verum dicendum melius cum aliis, eſſe illud, quod eſt taxatum à lege vel conſuetudine illius Diœceſis, quæ lex non habet reſpectum ad integram ſuſtentationem uniùs diei, ſed ad quantitatem laboris impenſi.

Hinc eſt, quod pro Miſſa ſolemni abundantius ſtipendium exigi ſolet, quam pro privata; quamobrem ſi Teſtator plures Miſſas teſtamento relinquat, & elemoſynam non præſcribat; hæredes beneviſam largiri non poſſunt, ſed intelligitur danda ſecundum Diœceſis conſuetudinem.

Quot ſtipendia poteſt ſumere Sacerdos.

SAcerdos habens obligationem celebrandi Miſſam ex aliqua cauſa, non poteſt ſtipendium ab alio recipere, & unica Miſſa duplici obligationi ſatisfacere: contrarium enim proſcribitur in ſequenti ab *Alex. VII.* damnat: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre* . . . . quod intelligitur etiamſi Sacerdos ſit pauper, ejuſque paupertas ſit gravis; quippe hæc numquam dat jus Sacerdoti, ut rem alienam recipiat.

Poteſt tamen in die Nativitatis Domini triplex ſtipendium ſumere, quia ad numerum Miſſarum ſtipendium multiplicatur, illaſque tribus applicare poteſt.

Sed notandum, quod ſi ſtipendium fuerit aſſignantum pro nuda præſentia, poteſt recipere alterum pro applicatione: puta ſi Miſſæ inſtitutio fuerit in hunc modum facta: *volo ut quolibet Sabbato celebretur Miſſa in altari SS. Roſarii in honorem B. V. pro qua aſſigno ſtipendium juxta Diœceſis conſuetudinem taxatum*: Sacerdos in hac Miſſa poteſt aliud ſtipendium ſumere pro applicatione, quia primum ſtipendium pro nuda præſentia intelligitur datum.

Verum non poteſt Sacerdos accipere duplex

plex ſtipendium, unum pro applicatione fructus, & aliud pro applicatione indulgentiæ; quia indulgentia non poteſt applicari, ut conſtat ex tenore diplomatis, niſi pro illa anima, pro qua celebratur. Inſuper nec poteſt ſumere duplex ſtipendium unum pro fructu medio, & alterum pro ſpecialiſſimo ſibi corriſpondente: contrarium enim proſcribitur *ob Alex. VII.* in octava: *duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem*: Sic etiam non poteſt retinere partem elemoſynæ ſibi elargitæ pro Miſſa, dando aliam partem alteri Sacerdoti, cui Miſſam commiſit, quippe id fuit a ſupralaud. *Alexand.* in IX. proſcriptum: *Poſt Decretum Urbani poteſt ſacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, aliu parte ſtipendii ſibi retenta*: niſi ſit Cappellanus, quia ſtipendium Capellaniæ non eſt pro ſola Miſſa. Inſuper Rectores Eccleſiarum Pauperum, & quæ ſufficientes non habent redditus, ut conſulta S. C. reſpondit, poſſunt partem elemoſynæ ſive retinere, & aliam Sacerdoti celebraturo dare.

Si Sacerdos pro celebratione Miſſarum elemoſynam incongruam habuit, puta: *duos tarenos pro decem miſſis*; tenetur decem Miſſas celebrare, nec ſatisfacit unam celebrando, peccatque contra juſtitiam, niſi decem celebret. Sa-

Sacerdos tandem, qui eleemosynam accepit, ut triginta Missas Divi Gregorii pro defuncto celebraret; si eas per saltum celebraverit, non satisfaciet; *ex Gavanto*; quia Missæ eo modo discontinuatæ D. Gregorii institutionem non integrant. Quid autem dicendum de Sacerdote, qui Missam vovit pro gratiarum actione? Probabilius sustinerem illum pro hac stipendium sumere non posse.

APPENDIX

Ad præcedentes Dissertationes.

De Vigiliis, & Stationibus Ecclesiasticis.

NE in aliquo me defuisse redarguerer, quod nihil de Vigiliis Ecclesiasticis, ac Stationibus fuerim locutus; (quod & facere, nec inficias eo: deberem;) brevi historica hac de illis Appendice opusculo huic meo colophonem addendum curavi.

Ut autem a Vigiliæ origine exordium sumam: de ejusdem significatione dein, & in jejunium commutatione locuturus; ante omnia sciendum, quod Vigilia Ecclesiastica initium in Ecclesia habuit a Pastoribus, quibus, ut *Luc.* 2. legitur super gregem suum de nocte vigilantibus Angelus Christi Domini Nati-

tivitatis lætus annuntiator apparuit, dicens: *Evangelizo gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.*

Hinc Vigilia penes primitivæ Ecclesiæ Christianos vocabatur nox illa, quæ aliquam solemnitatem præcedebat, in qua Christiani in Ecclesia pernoctare solebant, & totam quasi illius noctis moram in sacris, divinisque cantiouibus, ac psalmodiis trahebant; quæ propterea Vigiliæ *a Tertull. lib. 2. ad uxor cap. 4. nocturnæ convocationes*, vocatæ fuere.

In quatuor autem Vigilias noctem partiebantur, quas *Conticinium*, *Gallicinium*, *Intempestum*, & *Antelucanum* vocabant: de quibus in computo Ecclesiastico agam.

Et quidem in *prima* Vigilia primum Officii nocturnum, in *secunda* secundum, in *tertia*, tertium, & in *quarta* Laudes persolvebant, ad Deum laudandum, qui nos per suam sanctam Resurrectionem a tyrannica Dæmonis captivitate liberaverit: siquidem antelucano tempore, ut *Joan. 20.* legitur, *cum tenebræ adhuc essent*, Christus ab inferis victor ascendit.

Qua autem noctis hora hujusmodi Vigilias celebrare incipiebant Christiani, Eruditiss. *Edmun. Martene de antiq. Eccles. discip. cap. 7. §. 5.* sustinet, quod per plurima in Ecclesia sæcula a duodecima noctis hora vigilare incipiebant: quandoquidem hac hora, quæ in mediam noctem cadit, David ad laudandum Dominum se semper surrexisse testatur: *Media*

nocte

nocte ſurgebam ad confitendum tibi, Pſalm. 118. Paulus, & Silas, ut legitur *act.* 16. *media nocte orantes laudabant Deum*: hinc eſt, quod de primitiva Eccleſia ait *Baſil. in reg fuſius diſput. cap.* 37.: *de tempore autem mediæ noctis, quod id ad orationem neceſſarium ſit, traditum nobis eſt a Paulo, & Sila in actis.*

Quia vero Clerici ad vigilandum non ſemper erant promptiores, ut ipſis omnis excuſationis occaſio tolleretur, Epiſcopus ipſe Clericos ad noctis Vigilias excitare ſolebat; licet aliquando vices ſuas aiteri commiſerit, ut de S. Cæſario Epiſcopo Arelatenſi, quod ex ejus vitæ lib. colligitur, legitur quod Stephano Diacono curam hanc Clericos e ſomno excitandi injunxerat.

Verùm licet Vigiliæ regulariter a media nocte inciperent, nonnullæ tamen aliis erant longiores, quas inter *Sabbati*, & *Dominicæ* noctis vigiliæ, ad quas etiam ante mediam noctem ſurgendum erat: imo veteres Monachi *Caſſiano teſte lib.* 3. *c.* 8. *totam fere, & integram noctem Sabbathi & Dominicæ Deo conſecrabant, duabus dumtaxat horis ſomno deditis.*

In Vigilia *Nativitatis Domini, Epiphaniæ*, & *fer.* 6. *in Paraſc.* Eccleſia Gallicana ab hora noctis tertia vigilare incipiebat ſuaſque vigilias ad lucem uſque protrahebat. Hinc *S. Cæſarius in Regul. ad Virg.* ait: *in Natali Domini, & Epiphania ab hora tertia noctis uſque ad lucem vigilandum eſt.* Et de *fer.* 6. *in Pa-*

Paraſcev. mentionem facit Gregor. Epiſcop. apud Martene loco ſupra laudato, *in lib. 6. de Glor. Mart.*

Hic vigilandi uſus per multa ſæcula obſervatus fuit. Cum autem illiciti conventus in dictis vigiliis inſtitui cœpiſſent, quod Luſores, & Cantores convenirent, ut turpibus cantilenis, commeſſationibus, ſaltationibus, & quod prius erat fornicationibus intenderent; primum per *Can. 15. eliberat. Concil.* fœminarum interventus vetitus fuit, dein hujuſmodi vigiliæ penitus interdictæ fuere; ut teſtatur *Durand. in ſuo Rat. divin. offic. lib. 6. cap. 7.*

Ne autem Vigiliæ hujus in Eccleſia penitus deleretur memoria, retento vigiliæ nomine, has in jejunia Eccleſia commutavit. Verùm ex omnibus his vigillis in duabus tantum non jejunatur, ſcilicet in vigilia *Epiphaniæ, propter gaudium Dominicæ Nativitatis*, ut ait *Martene loco laud.* quia Salvator noſter mundo apparuit. Et in vigilia *SS. Philippi, & Jacobi*, quæ in prid. Kal. Majas cadit, eo quod ſemper in tempore Paſchali venit; in quo, utpote lætitiæ tempore, nullum Eccleſia mæſtitiæ, ac pœnitentiæ ſignum permittit, cujus proculdubio jejunium foret.

Hactenus de vigillis, mox de Stationibus aliqua dicamus: Statio ergo Eccleſiaſtica, ut ipſum nominis ethimon oſtendit, eſt: *manſio illa*, ſeu *mora, quam fideles Chriſtiani in Eccleſiis olim agebant.*

Ve-

Verum Stationis nomine ſtrictè ſumptæ antiquitùs ſignificabatur proceſſio illa, quæ ad aliquam Eccleſiam ad Deo gratias agendum dirigebatur, quæ propterea *Statio* dicebatur, quod in Eccleſia tunc Chriſtiani Deo gratias agentes ſtabant, & non genua flectebant, ſicut ad Litanias nos genua flectimus.

Hic Stationum uſus ad antiquam illam Eccleſiam a Judaico populo derivaſſe videtur, qui in præcipuis ſolemnitatibus, ut in Paſchate, & Pentecoſte in templo ad Deum adorandum, eidem gratias agendum, muneraque offerendum, undique conveniebat.

Erant, & aliæ Stationes, quæ a Romanis originem ducunt: ſi quando enim hi graviora ſibi imminere pericula, vel ſe hoſtibus obſeſſos videbant, Sanctorum interceſſionem ad eorum Eccleſias in pœnitentiæ habitu, ac jejuni confugiendo, implorabant; & gratia obtenta, iteratò ad illius Sancti Eccleſiam proceſſio inſtituebatur, quo die illos a periculo liberabat. *Durand. loc. cit.*

Utræque Stationis nomine in Miſſali notantur. Harum autem generales aliquæ erant, quæ per totam octavam Paſchæ, & Pentecoſtes, aliiſque diebus ordinabantur: Particulares aliæ, quæ in aliis diebus a Clero unius Eccleſiæ ad aliam fiebant.

Stationes, quæ in pœnitentiæ ſignum fiebant, illæ ſanè erant, in quibus ex Eccleſiæ præcepto jejunabatur: hinc *Theodor. lib. 7.*

ethi-

ethimol. cap. ult. ait: *Statio autem est observatio statorum dierum, vel temporum in* V. *vel* VI. *fer. vel Quadragesimæ*: Hujusmodi generis sunt Stationes, quæ in Missali signantur, in *Dominicis Adventus*: quippe olim tempus hoc jejunabatur. A *Dom. Septuagesimæ*, usque ad *Sabbatum Sanctum*, nam quadragesimale jejunium olim a Septuagesima inchoabatur, quod etiamnum aliqui Regularium Ordines observant. *In fer. 2. Rogat. In quatuor anni temporibus*.

Hæ autem pœnitentiales Stationes generales a Romana Ecclesia institutæ, furente olim in Christianos persecutione, ob tyrannorum metum in cryptis, vel in aliquibus piarum fœminarum domibus, vel etiam, necessitate cogente, in subterraneis Sanctorum Martyrum cœmeteriis fiebant.

Verùm reddita a Constantino Magno Ecclesiæ pace: quamvis longo tempore post *Gregorius PP.*, qui anno Domini 590. Pontificatum iniit, Stationibus tum generalibus, cum & particularibus certas Ecclesias assignavit, ut videre est in ipso Missali, per omnes Quadragesimæ dies: una tantum excepta, in qua licet jejunetur, tamen non ponitur *Statio*, estque *Sabbatum ante Dom. Palmarum*, & propterea vocabatur *Sabbatum vacans*, eo quod, eo die Pontifex propter occupationem largiendi eleemosynas pauperibus, & Christi mandatum exequendi in solita pedum ablutione, cum a prolixis functionibus *in fer. 6. in Cœna Do-*

Domini impediretur; a Stationibus vacabat. Quia autem Eccleſia Romana in his ſuis generalibus Stationibus pluries in Miſſæ oratione illius Sancti memoriam agebat, ad cujus Eccleſiam Statio fiebat; in Miſſali adhuc extant orationes, in quibus Sancti illius memoria recolitur, ad cujus Eccleſiam Statio dirigebatur; ſic *in Dom. in Seſſag.* fit D. Pauli memoria, ibi: *Ut contra adverſa omnia Doctoris Gentium protectione muniamur*, quia ea die *Statio ad S. Paulum* legitur: ſic & in non paucis diebus, quos in Miſſali videre eſt.

Hodie autem retenta in Romana Eccleſia ſacri jejunii obſervatione, videtur antiquus ille uſus in deſuetudinem abiiſſe; quamvis veſtigium aliquod remanſiſſe dignoſcatur; quippe ad illas Eccleſias fit qualibet die populi concurſus, ad quas olim ſtatio fiebat; in quibus propterea fit Sanctiſſimi expoſitio: quamvis in pauperibus Eccleſiis Reliquia tantum Sancti, vel Sanctæ illius, cujus eſt Eccleſia, exponitur.

Hæ ſunt, quas tibi, ingenue Lector, offero Diſſertationes, in quibus, ſi aliqua offendes Typographiæ ſpalmata, quæ in illas Typographorum incuria irrepſerint, quæque attenti correctoris diligentiam eluſerint, patienter corrige. Meo, igitur, ut ut tenuiſſimo labore utere. Et diù vale.

FINIS.

HAG 200477 37

23.